162 / B

A. XXXIX

18/h

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30500540

5225

ELIÆ FRIDERICI HEISTERI
LAURENTII FILII

APOLOGIA
PRO MEDICIS

Qua eorum depellitur cavillatio,

QUI

Medicinam in Atheiſmum aliosque in Theologia errores abducere perhibent,

ET

Qua ſimul præcipui Medici & nominatim
HIPPOCRATES, GALENUS, CARDANUS, TAURELLUS, VANINUS & BROWNIUS,
qui atheiſmi crimine commaculati ſunt, defenduntur.



AMSTELÆDAMI,
Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.
MDCCXXXVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SUMME VENERABILI
DOCTISSIMO CELEBERRIMOQUE
VIRO
JOANNI LAURENTIO MOSHEMIO
SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESSORI PUBL. ORD. IN ACADEMIA JULIA, SERENISSIMI DUCIS BRUNSVICENSIS ET LUNEBURG. A CONSILIIS CONSIST. ET ECCLES. ABBATI. COENOBIORUM VALLIS S. MARIÆ ET LAPIDIS S. MICHAELI S. SCHOLARUM PER TERRAS GUELPHICAS EPHORO GENERALI,

PURIORIS RELIGIONIS DOCTORUM NOSTRÆ ÆTATIS FACILE PRINCIPI;

NEC NON

PERILLUSTRI

ATQUE EXPERIENTISSIMO VIRO
FRIDERICO HOFFMANNO,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI BORUSS. REGIS ET ELECT. BRANDENB. CONSILIARIO INTIMO, ARCHIATRO ET PROFESSORI REGIO IN ACADEMIA FRIDERICIANA LONGE CELEBERRIMO,

SUMMO AC FELICISSIMO HUJUS ÆVI MEDICO;

VIRIS

IN RERUM AD ANIMI ET CORPORIS SALUTEM SPECTANTIUM SCIENTIIS

EXCELLENTISSIMIS

RERUM ET PRINCIPUM AMORIBUS
ORBIS LITTERATI MIRACULIS;
PARENTIS MEI AMICIS ATQUE FAUTORIBUS
MÆCENATIBUS ET PATRONIS MEIS;
SEMPITERNO HONORIS CULTU DEVENERANDIS.

HANC QUALEMCUNQUE

MEDICINÆ ET MEDICORUM

APOLOGIAM

D. D. D.

Auctore

E. F. HEISTERUS.

PRÆFATIO.

JAm dudum & ſæpe quidem varii ſcriptores in ſuis litterarum monumentis de iniquiſſima cavillatione Medicinæ & Medicis atheiſmi ſummæque impietatis crimen exprobrante querimonias moverunt; nullus tamen eorum, quantum ſcio, ex inſtituto ad extingvendam iſtam turpiſſimam contumeliam & ad vindicandam præſtantiſſimæ hujus ſcientiæ innocentiam, conſervandamque philiatrorum exiſtimationem, bonam famam atque honorem, in hunc uſ-

que diem, quod miror, calamum arripuit.

Quum vero nullum crimen præſertim inter chriſtianos ſit execrabilius atheiſmo, nullumque gravius convicium, quam hujus opprobrium aut objurgatio excogitari poſſit, me rem opera pretioque dignam eſſe facturum duxi, ſi hanc lacunam explerem, & peculiari quadam exercitatione oſtenderem, vanum, fictum atque falſiſſimum eſſe, quicquid in hoc fonte arti ſalutari & illius profeſſoribus ab eorum adverſariis, cavillatoribus, oſoribus & inimicis obganniri vulgo ſolet.

Conſcripſi igitur his cauſſis commotus iſtam Apologiam, quam Tibi, Lector Benevole, nunc propono: ad quam exarandam eo alacrius ac lubentius acceſſi, quia & filius Medici inter ordinis ſui homines haud obſcuri nomi-

minis & ipſemet arti Machaoniæ me jam dudum addixerim, maxime autem qui certiſſime fuerim perſuaſus, me cauſſam acturum eſſe juſtiſſimam.

Sub initio hujus exercitationis partim proverbiis in opprobrium Medicorum excogitatis, partim teſtimoniis & querelis ſapientum, partim enumeratione multorum Medicorum, atheiſmi (licet maximam partem immerito) ſuſpectorum commonſtravi, Medicinam & Medicos inique hoc atro vulgo notari carbone.

Deinde in rationes & fundamenta indagavi, quibus vel dementia imperitorum, vel livor malevolorum huic cavillationi album adjicere calculum allaborarunt, ubi ſemper, niſi me omnia fallunt, perſpicue oſtenſum atque demonſtratum eſt, cuncta, quæ ad confirmandum atque propugnandum illud commentum ficta unquam

& dicta fuere, nullius fere pretii, valoris atque momenti eſſe.

Tum ad ipſius medicinæ præcepta & dogmata perveſtiganda atque examinanda me converti, hoc conſilio, ut perquirerem, num hæc forte virus aliquod alerent, quod animos cultorum ipſius deterrima ea atheiſmi lue inficere valeret; id vero dum agebam, brevi expertus ſum, idemque deinceps facile negotio & evidentiſſime quidem, ut opinor, evici, tantum abeſſe, ut illa ad abnuendum ſupremum Numen feneſtram aperiant, vel anſam ſuppeditent, ut potius ad ſummum ſapientiſſimumque hujus univerſi creatorum ac gubernatorem agnoſcendum, miraque pietate colendum vel invitos quaſi rapiant. Atque hunc in finem artificioſiſſimam corporis humani conſtructionem ſive fabricam, quam *Anatomia* docet, & ſpecia-

ciatim elegantiſſimam planeque mirificam oſſium & inſtrumentorum motus ſive muſculorum ſtructuram, actionem, uſum, ipſumque admirabile generationis negotium contemplatus ſum & expoſui, ſimul etiam de miraculis & veneribus in plantis atque ſtirpibus obviis, quarum ſcientiam Doctrina *Botanica* tradit, diſſerui; præterea adhuc indicavi & declaravi Medicos vi diſciplinæ ſuæ & officii teneri, ut una cum his univerſam rerum naturam, animalia ſcilicet, vegetabilia, mineralia, terram, aërem, imo & aſtra ipſa contemplentur. Ex quibus vero omnibus ſole meridiano clarius elucet, eos circa iſtiusmodi ſemper verſari objecta, quæ cuilibet in has res attento, niſi talpa coecior ſit, ſuum conditorem atque effectorem quam luculentiſſime manifeſtant

& pleno ſemper exclamant ore: *eſt & exiſtit* DEUS!

Quia vero his non obſtantibus malitia hominum eouſque progredi auſa eſt, ut principes etiam nonnullos in arte Medica viros atheorum cohorti accenſere haud erubuerit, nonnullos ex iis, & nominatim quidem *Hippocratem*, *Galenum*, *Cardanum*, *Taurellum*, *Vaninum*, *Brownium* ſpeciatim defendi, excuſavi atque ab hoc crimine, ut ſpero, liberavi.

Atque hactenus præcipue in avertenda & declinanda criminatione Medicinæ & Medicis propter religionem inflicta deſudavi: ſed his non contentus, ulterius progreſſus ſum, & ex genuinis fontibus lucutentisque documentis & exemplis in honorem & laudem eorum, rigente etiam malevolorum invidia, demonſtravi, ſumma ingenia, quæ unquam Medicinam ex-

excoluerunt, pertractarunt & fecerunt, non tantum a deteſtabili atheiſmi impietate quam alieniſſima fuiſſe; ſed ad religionem tam naturalem, quam revelatam propugnandam, confirmandam, illuſtrandam atque propagandam mirum quantum contuliſſe, eorumque merita in utraque rerum divinarum ſcientia maxima & plane immortalia eſſe.

Ultimo ex comtemplatione officii Medici tam theoretici, quam practici, quam evidentiſſime comprobavi, artem ſalutarem genuinos ſuas cultores potius a flagitiis atque peccatis avocare & ad reverentiam erga Deum adeoque ad pietatem vitæque Sanctimoniam excitare atque inflammare, quam in atheiſmum & reliqua ſcelera ex hoc pleno rivo emanantia ſeducere.

Hunc circiter in modum meum exe-

exequi propoſitum, Medicinam & Medicos a turpiſſima atheiſmi cavillatione liberare, eorum innocentiam vindicare, oſorum atque obtrectatorum dementiam vel malitiam commonſtrare ac refutare anniſus ſum. Si tenuem noſtram opellam doctis hominibus non omnino diſplicuiſſe, ſed aliquo eorum calculo approbatum fuiſſe intellexero, illud ipſum me in poſterum ad plura. Deo auxiliante tentanda atque auſpicanda mirifice excitabit. Vale.

Dabam Lipſiae
idibus Auguſti,
MDCCXXXVI.

APOLOGIÆ

CONSPECTUS.

Sectione I. *Oſtenditur, atheiſmi crimen vulgo Medicis obiici.* pag. 1.
Sect. II. *Quinam Medici præ ceteris pro atheis fuerint habiti.* p. 7.
Sect. III. *Indicantur cauſſae huius cavillationis;* p. 11. *quæ ſunt*
I. *Studium philoſophiæ naturalis* §. 1 & *quidem*
(1) *quia ex iis* Mechaniſmum *in hoc orbe ſtatuunt.* §. 2. p. 13. Mechaniſmum *autem ad Deum potius ducere quam ab eo abducere demonſtratur.* §. 3. p. 14.
(2) *quia Deum & animam cum materia confundunt. Hoc vero prudentiores non facere docetur* §. 4. p. 16.
(3) *quia* miracula *S. Scripturae tollunt; ſed hoc falſo iis imputari oſtenditur* §. 5. p. 17.
(4) *quia vulgi omina parvi faciunt* §. 6. p. 18.
(5) *quia plurimas de* ſpectris *& ſagis nar-*

narratiunculas contemnunt. p. 18.
(6) *quia* Alchemiam *excolunt.* p. 19.
Sect. IV. II. *Medii ævi ſuperſtitio.* p. 20.
Sect. V. III. *Neglectus publici cultus Divini.* p. 23.
Sect. VI. *Docetur*, quid ſit atheus *& atheos extitiſſe imo & adhuc exiſtere; ſed non adeo magnum eſſe eorum numerum, quam vulgo creditur.* p. 24.
Sect. VII. *Medicinam graviſſima ſuppeditare* argumenta Deum evincentia *docetur & probatur hoc primo* ex anatome Corporis *humani generatim.* p. 28.
Sect. VIII. *Idem ſpeciatim oſtenditur* p. 30. ex oſſium fabrica §. 1. *ſqq. ex femore, tibia, fibula & pede extremo* §. 2. *patella* §. 3. *oſſibus innominatis & oſſe ſacro* §. 4. *ſpina dorſi* §. 5. *e coſtis* §. 6. *artubus ſuperioribus, clavicula* §. 7. *ſcapula* §. 8. *brachio* §. 9. *manu* §. 10. *capite.* §. 11. *cranio* §. 12. *maxillis.* §. 13. *dentibus.* §. 14. p. 39.
Sect. IX. *Deinde id demonſtratur e* muſculorum ſtructura *& actione* §. 2. p. 40. *& ſingulatim ex corde* §. 2. *manducatione* §. 3. *imperio, quod mens per muſculos in corpus exercet.* § 4. *e lingva* §. 5. *mobilitate oculorum* §. 6. *ceterorumque muſculorum robore & agilitate.* §. 7.
Sect. X. *Tum* ex totius rerum naturæ contemplatione, *quippe in qua Medicum ſemper occupatum eſſe oportet.* p. 45.

Sect.

Sect. XI. *Denique ex* plantis *ac* Stirpibus. p. 46.
Sect. XII. *Poſtremo* ex ortu & generatione hominis, *animalium & plantarum.* p. 94.
Sect. XIII. *Concluditur inde impoſſibile eſſe, Medicinam ad atheiſmum ſeducere.* p. 50.
Sect. XIV. *Nonnulli Medici ex præcipuis atheiſmi ſuſpecti ab hoc crimine liberantur & ſpeciatim* Hippocrates. p 52.
Sect. XV. Galenus *hanc ob cauſſam defenditur.* p. 60.
Sect. XVI. Cardanus *ab atheiſmo immunis redditur.* p. 70.
Sect. XVII. Taurellus *in atheorum catalogo deletur.* p. 78.
Sect. XIIX. Vaninus, *qui* famoſus atheus *a nonnullis appellatur, a crimine atheiſmi abſolvitur & varia notatu digna de eo proferuntur.* p. 95.
Sect. XIX. Brouwnii. *Apologia tractatur.* p 133.
Sect. XX. *Oſtenduntur nunc e contrario* Medicorum merita in Theologiam *& quidem primo* naturalem. p. 139.
Sect. XXI. *Deinde* revelatum. p. 143.
Sect. XXII. Medicinam potius ad pietatem quam ad atheiſmum *ducere declaratur.* §. 1. *atque evincitur.* p. 147.
(1) *ex quotidiana operum Dei neceſſaria conſideratione in huius artis pertractatione,* §. 2. 3. p. 148.
(2) *ex vivida miſeriæ humanæ repræſentione*

tione. §. 4. p. 149.

(3) *ex frequenti mortis comtemplatione. §. 5. ſqq.* p. 150.

SECT. XXIII. *Medicinæ & Medicorum innocentia ex. S. Scriptura vindicatur. eorumque ad res ſacras habilitas gravibus argumentis evincitur: cum primis etiam* LUCÆ *exemplo.* p. 154.

SECT. XXIV. *Fit concluſio, oſtendendo calumniam illam, quam Medicis inurere multi voluerunt, vanam & ſtolidam eſſe.* p. 157.

ELIÆ FRIDERICI HEISTERI
APOLOGIA,
Quâ depellitur cavillatio eorum,
QUI,
MEDICINAM
IN ATHEISMUM
Alioſque in Theologia nævos abducere, putant.

SECTIO I.

I. NUlla eſt ſcientia vel ars, quæ non gaudet ſuis aſſeclis, fautoribus, patronis; nulla itidem eſt, quæ non habet oſores, invidos, obtrectatores. Hæc quoque fata nobiliſſima artium *Medicina* ex- *Medicis atheiſmi crimen vulgo objicitur.*

peritur : *Laudatur ab his, culpatur ab illis.* Sapientiores ad unum omnes ejus præſtantiam magni facere, vix ulli latere arbitror. Nonnullos autem vel otio languentes vel malitia corruptos homunciones illam haud raro contemnere; & acerbiſſimas interdum cavillationes in eandem eructare, in vulgus quoque notum eſt. Quis ignorat, excellentem hanc doctrinam alios incertam & fallacem, alios crudelem nimis, alios inutilem prorſus, imo noxiam (*a*) pronunciare atque cunctis exoſam reddere auſos fuiſſe? Inter omnes tamen calumnias, quibus unquam onerata eſt, maxime execrabilis, & deteſtanda mihi videtur illa, qua incuſatur, *ipſam ad nævos in Theologia fovendos, imo ad atheiſmum ſuos ſeducere alumnos.* Hominum malitia eo proceſſit audaciæ, ut in proverbio nonnulli dicere haud erubuerint : *Ubi tres Medici, duo athei*, (*b*) vel quod æque infame eſt, *Medici in*

(*a*) Neque ab hoc obtrectationis crimine, præter *Molierium*, Comicum Gallum, aliosque varios, doctum alias & argutum illud caput, ERASMUS ROTERODAMUS liber fuit; dum enim in colloquio ſenili alter ſenum rogatur, quibusnam artibus & animi & corporis vigorem ad decrepitam usque ſenectutem retinuerit? an non adjuvet valetudinem pharmacis? reſpondet : *Nihil mihi rei cum Medicis. Nec venam incidi unquam, nec devoravi catapotia, nec hauſi potiones.* Sed hæc magis per jocum, quam ſerio ab ipſo dicta fuiſſe pro ingenio, quo erat lepido ac faceto, mihi veriſimile eſt, quum prudentiores ratione & experientia convicti aliter ſentiant, atque SYRACIDE *teſte : prudens non contemnat Medicinam & Medicum* c. 38, 4.

(*b*) GORISIUS in medicina contemta. p. 100.

in Theologia ineptiunt, aut plane deſipiunt. (*c*) GERETIUS tot tantosque eſſe Medicorum in Theologia errores credidit, ut de iis integrum conſcribere librum (*d*) non dubitaverit, & monumenta præſtantiſſimorum virorum querelis referta ſunt, quas ob injuſtas iſtiusmodi accuſationes juſte moverunt.

II. In ſcriptorum numero, qui hac de re con-

(*c*) Vid. LEPORINUS in vitis eruditorum Germanorum p. 39.

(*d*) JO. GEORG. GERETIUS libellum de nævis medicorum theologicis edidit Weiſſenburgi Noricorum. 1728 4. Juxta alphabeti ſeriem enumerat *triginta novem Medicos*, qui ſecundum ejus ſententiam dogmata foverunt a purioris Eccleſiæ præceptis recedentia. Noli autem credere, ex eo ipſo elucere, præ cæteris hominibus Medicos nævis theologicis eſſe obnoxios. Quod enim vitæ genus, vel quænam ars exiſtit, quæ nullos omnino habeat cultores vel aſſeclas, perverſis de rebus divinis opinionibus inquinatos? Sanctam Theologiam iis abundaſſe, niſi jam ſatis notum eſſet, haud difficulter confirmari poterit. Illud tantum adhuc monendum eſſe hic putavi, GERETIUM interdum majori paululum, quam par erat, vehementia contra Medicos errantes diſputaſſe: deinde illum pro nævis theologicis declaraſſe dogmata vel ſententias, quæ inter levioris momenti errores, ſi modo errores ſunt, enumerari tantum debent. v. gr. Acutiſſimo TAURELLO tanquam graviſſimum errorem imputat, quod brutis animam rationalem haud abnegaverit, quum tamen adhuc hodie multi ſunt præſtantiſſimi viri, qui hoc non negant, ſed potius defendunt, *Animalia ſæpe melius ratione uti*, quam homines. Conf. *Rorarius* libro, *quod animalia ſæpe ratione melius utantur homine.* Inter nævos eruditi Th. REINESII refert, quod Theologos, qui vehementiores & acriores doctrinæ fuerunt vindices, ἀρχαιρεσιοτικους nominaverit; plures hujus farinæ objectiones brevitatis gratia ſilentio præterimus.

conqueſti ſunt, primum locum teneat (1) Celeberrimus ob mentis perſpicaciam Anglus, *Thomas BROWNE*, hic lib. de relig. Medici P. I. ſect. 1. inquit: *For my religion, though there be ſeveral circumſtances, that might perſuade the world, I have none at all, as the general ſcandal of my profeſſion. &c.* hoc eſt: "Quod ad meam attinet religionem, quamquam variæ adſint circumſtantiæ, quæ nonnullos perſuadere poſſent, mihi nullam prorſus eſſe, ut vulgare profeſſionis meæ ſcandalum &c. (illum autem fuiſſe Medicinæ addictum, notum eſt.)

III. (2) Auctor annotationum anglicarum in BROWNII librum de religione Medici, in nota ad auctoris verba modo citata, ſequenti ratione confirmat, Medicos ob religionem plerumque male audire: *Phiſicians (of the number where of it appears by ſeveral paſſages in this book the author is one) do commonly hear ill in this behalf. It is a common ſpeach (but on ly amonyſt the unlearned ſort) ubi tres Medici, duo athei.* „Medici (ex quorum numero auctorem fuiſſe, varia hujus libri loca demonſtrant) ob religionem plerumque mala audiunt. Tritum eſt ſermone proverbium: (ſed tantum a minus prudentibus ſive vulgo receptum) ubi tres Medici, duo athei.

IV. (3) Alexander le *François* Medicus Gallus, *dans les reflexions critiques ſur la medicine* T. II. c. VIII. in eadem querela fuit, dum inquit: *Comme il n'y a de probité bien exacte*

dans

dans les athées, & que cette qualité ſe doit trouver dans les Medecins, le reproche, qu'on leur fait de n'avoir pas de religion, leur eſt trop injurieux pour ne les en pas defendre. L'origine de cette accuſation ne vient que de prejuges des gens ſuperſtitieux, qui trouvant des Medecins oppoſes a de certaines practiques de leur devotion mal reglée, ont repandu cette calomnie, à la quelle on a ajouté foi par la facilité qu'on à de croire le mal. „ Quum vera honeſtas in "atheorum animis nullum omnino locum "teneat, & hæc tamen virtus in Medicis ne- " ceſſario requiratur, hinc criminatio, qua "accuſantur, eos nullam habere religionem, "nimis ignominioſa eſt, ut ſine confutatione " relinqui nullo modo poſſit. A præjudiciis "ſuperſtitioſorum ortum duxit hæc accuſatio, " qui quum Medicos certis rei ſacræ exerci- "tiis, vel adminiſtrationibus male inſtitutis " oppoſitos reperirent, hanc evomuerunt ca- "lumniam, cui fides deinceps fuit habita ob " proclivitatem hominum credendi id, quod "malum eſt.

V. (4.) J. A. ROEPER, Medicus Halberſtadienſis caput illud, quod modo ex *Alexandro le François* allegavimus, germanice vertit, & publicavit ſub titulo: *Religio Medici* (die Religion eines Medici) In præfatione huic verſione juncta, teſtatur etiam Medicinam hoc atro notari carbone. Es iſt allerdings an dem / daß man ſchon längſt geklagt daß die Medicin ad Naturaliſmum und Epicureiſmum führe / ja gar Atheiſten hervor bringe.

 „ Hoc

„Hoc eſt: Verum omnino eſt, jam diu motam fuiſſe querelam, Medicinam ad Naturaliſmum & Epicureiſmum ſeducere, imo atheos producere.

VI. (5) Jo. TIMMIUS, Medicus Bremenſis, eadem quoque de re nuper conqueſtus eſt in *Libello de exiſtentia Dei ex ſpinæ dorſi conformatione demonſtranda* ubi inquit: Es iſt eine grobe Calumnie / wann man diejenigen / ſo in ihren Vernunft-Schlüſſen nicht immer nach der alten Leyer tantzen wollen / ſondern in einigen Stücken von der gemeinen Meynung abgehen / ohne Gnade des Atheiſmi beſchuldigen will: noch viel boßhafter ſind aber diejenigen / welche mit den Medicis ſo hart verfahren / daß ſie den größten Hauffen derſelben dieſen verhaſten Namen geben. Indem ich mich alle Augenblick zu behaupten getraue / daß ein gelehrter Medicus zu dieſem Irrthum unmöglich verfallen könne. „Impudens eſt calumnia, ſi ii, qui in ſuis „ratiociniis interdum a communibus recedunt opinionibus, atheiſmi ſtatim accuſantur; & multo pejor adhuc horum impietas „eſt cenſenda, qui in Medicorum filios adeo „ſunt injurii, ut maximæ illorum parti hanc „turpitudinem inurere ſtudeant. Siquidem „ſingulis evicturus ſum momentis, Medicum doctum in hancce dementiam incidere nullo modo poſſe.

Ex quibus omnibus ſatis, ni fallor, videri poterit, quam late ſerpſerit, & quam altas in imperitorum animis radices egerit hoc impudentiſſimum de arte ſalutari commentum.

SECTIO

SECTIO II.

I. LUculentius illud apparet, ſi evolventes catalogum virorum de atheiſmo ſuſpectorum invenimus, Medicos per magnam hujus partem conſtituere, & , pudet dicere, principes artis noſtræ viros huc referri. In atheorum cenſum relatos fuiſſe novimus HIPPOCRATEM (*a*) GALENUM, (*b*) GESSIUM, (*c*) AVICENNAM (*d*) AVERROEM, (*e*) HERMOLAUM BAR- *Quinam Medici pro atheis fuerint habiti?*

(*a*) HIPPOCRATEM *Coum*, ſtatorem & principem Medicinæ, Cel. GUNDLINGIUS primus, & ſolus fere in *otiis Hallenſib. Part II. c. III.* atheiſmi macula infamare tentavit.

(*b*) In GALENO Pergameno, Medicorum poſt Hippocratem principe, quoque aliquos notaſſe ἀθεοτητα teſtatur Cel. *Morhoff. Polyb. T. I. lib. 1. c. VIII.*

(*c*) GESSIUS, Medicus græcus ſecundum *Suidam* ſub imperatore Zenone, ſeculo, quod Chriſtianis quintum eſt, floruit. Illum docuiſſe, mundum ab æterno fuiſſe, & in æternum duraturum fore, ideoque atheis annumerandum eſſe, refert Cel. *Reimannus Hiſt. atheorum, & atheiſmi.*

(*d*) AVICENNA celeberrimus Arabum Medicus, natus A. O. R. 980. & obiit 1036. *Gazali* apud *Herbelotium* in *Bibliotheca orientali* p. 812. in impietatem, & atheiſmum eum incidiſſe docet.

(*e*) Sub finem ſeculi duodecimi & principium decimi tertii AVERROES Arabs, vixit: Præclarus Philoſophus, inſignis Medicus, & eximius Jureconſultus. Famam eruditione acquiſitam varii rurſus haud leviter obſcurarunt, dum illi hominis impii, & omnium religionum contemptoris ignominiam impoſuerunt & *Gabriele* NAUDÆO in Naudeanis p. 24. *manifeſtus appellatur atheus.*

 (*f*, *Her-*

BARBARUM, (*f*) FRANCISC. RABÆLESIUM, (*g*) THEOPHRASTUM PARACELSUM, (*h*) SIM. SIMONIUM, (*i*) HIERONYMUM CARDANUM, (*k*) JUL-

(*f*) *Hermolaum* BARBARUM, nobilem Venetum, recte quidem primis bonarum litterarum reſtauratoribus; male vero atheis accenſeri Cel. *Buddeus* ſtatuit *Theſ. de atheiſmo & ſuperſtitione. Cap. I.* §. 24.

(*g*) *Franciſcus* RABÆLESIUS, natione Gallus, circa medium ſeculi decimi ſexti vitam egit. Monachus primum, deinde Medicus fuit. THUANUS lib. VI. ſequentia de eo refert. *Omni ſtudio ſerio omiſſo ſe totum vitæ ſolutæ, ac gulæ mancipavit, & ridendi artem hominis (ſicut ipſe agebat) propriam amplexus Democritica libertate, & ſcurrili interdum dicacitate, ſcriptum ingenioſiſſimum fecit, quo vitæ regnique cunctos ordines, quaſi in ſcenam ſub fictis nominibus produxit, & populo deridendos propinavit.* Nonnullos eum in atheiſmi ſuſpicionem vocaſſe, ſed id de practico potius, quam theoretico atheiſmo intellexiſſe docet *Buddeus l. c.* §. 25.

(*h*) *Theophraſtus* PARACELSUS, auctor & princeps ſectæ chemicæ. Hunc fuiſſe primum, qui Theologis occaſionem dedit ſuſpicandi, atheiſmum enthuſiaſmo eſſe reconditum, ſtatuit *Reimann.* Hiſtor. atheiſmi. C. Henr. *Moro diſſ. de Enthuſiaſmo.* Ab illo autem crimen iſtud avertit Cel. *Stollius* in *Hiſt. Medicinæ.*

(*i*) *Simon* SIMONIUS, Lucenſis, ſeculo XVI. vixit. Genevæ & Heidelbergæ Philoſophiam, Lipſiæ Medicinam docuit. In Polonia, quo ſe ultimo contulit, ad Socinianos tranſiiſſe dicitur. Vid. *Stollius* Hiſt. Medic. Contra eum ſequens ſcriptum eſt publicatum. *Simon Simonii, Lucenſis, primum Romani, tum Calviniani, deinde Lutherani, denuo Romani, ſemper autem athei, ſumma religio, authore* D. M. S. P. Cracov. 1588. 4.

(*k*) Eodem circiter tempore floruit *Hieronymus* CARDANUS, Mediolanenſis. Vaſtis operibus, quæ conſcripſit, varii generis argumenta, potiſſimum tamen medica & philoſophica pertractavit. Inter alios B. G. *Struvius de docto atheo* p. 21. & Theoph. *Spizelius de atheiſmi radice p.* 22. illum atheiſmi protectorem nuncuparunt.

JUL. CÆS. VANINUM, (*l*) ANDREAM CÆSALPINUM, (*m*) NICOLAUM TAURELLUM, (*n*) FRANCISC. SANCHEZ, (*o*) DANIE-

(*l*) *Julius Cæſar* VANINUS, Neapolitanus, vulgo *Cæſar atheorum* appellatur. Ob hujus criminis ſuſpicionem Toloſæ in Gallia, lingua prius exſecta An. 1619. vivus combuſtus eſt. Accuſationem ejus, & mortem enarravit *Gabr. Barthold* GRAMONDUS hiſt. Gall. ab exceſſu Henrici IV. lib. III. p 210. ſeqq. conf. Anonymi *apologia pro Vanino*, & quæ infra de eo proponemus.

(*m*) *Andreas* CÆSALPINUS, Aretinus, Philoſophus ex Peripateticorum ſecta ſubtiliſſimus, Medicinæ, inprimis etiam Botanices peritiſſimus fuit, quas doctrinas Piſæ publice profeſſus eſt. In tanta vixit exiſtimatione, ut CLEMENS VIII. ſummus Romanorum Pontifex, archiatri munus ipſi committere haud dubitaverit. Romæ 1603. diem obiit ſupremum. Ex ejus *quæſtionibus peripateticis*, opiniones ad atheiſmum ducentes eruere ſtuduerunt Nic. TAURELLUS in *alpibus cæſis*, Petrus BAELIUS in *Lexico ſuo hiſtorico* & alii.

(*n*) *Nicolaus* TAURELLUS, Montibellegardenſis, in academia Altorffii eflloreſcente Phyſicam & Medicinam publice docuit. Obiit 1606. *Andream Cæſalpinum* in Alpibus cæſis atheiſmi convincere allaboravit. Sed a Theologis Heidelbergenſibus in litteris ad D. Petrum *Plancium* Amſtelodamenſis, & D. P. *Becium* Dordrechtanæ eccleſiæ Paſtores, de D. *Conradi Vorſtii* cauſa, & libro de Deo perſcriptis, eadem macula, quam *Cæſalpino* adſpergere tentaverat, notatus fuit. Conf. Gisbertus *Voëtius* diſput. Sel. Tom. I. p. 181. 183. & Cel. *Feuerlinus* in *Taurrello defenſo*.

(*o*) *Franciſc.* SANCHEZ, Luſitanus, ſub initio præcedentis ſeculi floruit, & Toloſæ Medicinæ præcepta publice tradidit. Conſcripſit librum *de eo quod nihil ſciatur*, quo ipſo illum in Philoſophiam introducere rurſus Pyrrhoniſmum, & ipſa Theologiæ fundamenta ambigua reddere ſtuduiſſe, ferunt. Vid. *Reimannus* l. c.

NIELEM SENNERTUM, (*p*) JOH. SPERLINGIUM, (*q*) THOMAM BROWNIUM, (*r*) JOH. JOACH. BECHERUM, (*s*) BERNH. CONNOR, (*t*) NEHEMIAM GREW, (*u*) SA-

(*p*) Circa medium ſuperioris ſeculi *Daniel* SENNERTUS Medicorum ſui temporis in Germania facile princeps Vitebergam illuſtrem reddebat, &

(*q*) eodem circiter ævo Leucoream *Jo.* SPERLING Prof. Phyſices doctiſſimus, & Medicinæ ſimul peritiſſimus exornabat. Utrorumque horum virorum famam, probitatem, atque religionem multis convitiis lacerare & infamare Joh. FREITAGIUS Med. Profeſſor primo Helmſtadienſis, deinde Grœningenſis, peculiari ſcripto, auſus eſt, quod ſub titulo *Detectio & refutatio novæ ſectæ Sennerto-Paracelſiſticæ*. Amſtelodami 1637. 8. prodiit.

(*r*) *Thomas* BROWNE ex celeberrimis & perſpicaciſſimis Philoſophis ac Medicis fuit, quibuſcum Anglia antecedenti ſuperbivit ſeculo. Illius religionem Medici Tobias WAGNER iis libris annumerandum eſſe putat, *in quibus atheiſticæ impietatis ſemina & hypotheſes deliteſcunt, ut ſine periculo infectionis legi vix poſſint,* in Examine Elenchtico atheiſmi ſpeculativi.

(*s*) *Jo. Joachimus* BECHERUS, Spirenſis, vir feliciſſimi ingenii, & diffuſæ ſcientiæ, ut ſcripta ejus docent, ſed varius in omni genere vitæ fuit. Pontificiam cum Evangelica commutavit religione. Ob ſummam animi levitatem & varietatem, tot actionibus teſtatam, inter atheos a quibusdam relatus eſt. Obiit 1682. vid. *Reimannus* l. c.

(*t*) *Bernhardus* CONNOR, Medicinæ Doctor e regia ſocietate Londinenſi, nec non e regiali Medicorum Londinenſium Collegio fuit. Vixit ſub finem ſeculi. XVII. In ejus libro, quem *Evangelium Medici* inſcribit, talia contineri, quæ ad atheiſmum recta via ducunt *Reimannus* l. c. affirmat.

(*u*) *Nehemias* GREW, gente Anglus, vir, qui tantam ſibi acquiſiverat famam artificioſiſſima, & ingenioſiſſima plan-

SAMUELEM GARTHIUM, (*x*) &c. Hi ſunt præcipui, quorum parta per artem ſalutarem gloria, atheiſmi criminatione commaculata fuit. (*y*)

SECTIO III.

I. CEcidit atheiſmi ſuſpicio in medicos, 1. quia ſtudio *Philoſophiæ naturalis*, ab antiquiſſimis temporibus operam navarunt. Hujus autem cultores ſemper fere iſta macula notati fuere (*a*) teſte APULEJO in Apo-

Medici hac cavillatione notantur 1. ob ſtudium Philoſophiæ naturalis.

plantarum anatome aliisque ſcriptis, hanc quoque contumeliam evitare non potuit, ſiquidem Petr. BAELIUS in continuatione cogitat. De cometis, & de hoc & Cel. *Cudwortbio*, cujus ſyſtema intellectuale Cel. MOSHEMIUS noſter latine vertit & doctiſſimis notis illuſtravit An. 1733. refert, illos ſuffulciendo hypotheſin de mundo vitali, & natura plaſtica atheis arma ſuppeditaſſe. Utrosque contra *Baelium* defendit Jo. CLERICUS in *Bibliotheca ſelecta.* T. V. art. 10.

(*x*) Anglia quoque produxit *Samuelem* GARTHIUM, Poëtam ingenioſiſſimum, & Medicum celeberrimum. Hunc ſine omni religionis ſenſu eſſe extinctum, memorat *Reimannus.* l. c.

(*y*) Plures Medicos, ſuper atheiſmo, vel aliis in religione erroribus quibusdam ſuſpectos, qui ſcire cupit, is conſulat Geretium, libro jam citato *de nævis Medicorum theologicis.*

(*a*) Quanta vero cum injuria illud ipſum factum ſit, nemini latet, niſi qui ignorat, maximi ponderis argumenta pro Dei exiſtentia militantia ex rebus creatis ſive phyſicis depromta ſemper eſſe & depromi debere. CICERO in *natura Deorum*; GALENUS in libris *de uſu partium*; PARKERUS in diſputat. *de Deo & providentia*; Jo. ARNDIUS lib 1. *de vero Chriſtianiſmo*; RAJUS in *exiſten-*

Apologia. *Hæc ferme,* inquit, *communi quodam errore imperitorum objectantur, ut partem eorum, qui corporis cauſas meras, ſimplices rimantur, irreligioſos putent, eoſque ajant Deos abnuere, ut Anaxagoram, & Leucipum, & Democritum, & Epicurum, ceteroſque rerum naturæ Patronos.* (*b*) Inquiramus breviter

exiſtentia & ſapientia Dei demonſtrata ex ejus operibus; Jo. Chriſtian. STURMIUS in *Phyſica electica & Theoſophia*; Sam. *Clark de exiſtentia Dei*; FENELON *de exiſtentia Dei*; NIEWENTYDT in *contemplatione hujus mundi*; DERHAM in *Theologia phyſica*; *Chriſtian.* WOLFFIUS lib. *de rerum finibus* & innumeri alii etiam ex ipſis prudentioribus Theologis ſatis edocuere, nihil evidentius Numen ſupremum commonſtrare attenta rerum naturalium contemplatione. Hinc etiam ſplendidum illud Britannorum ſidus ROB. BOYLE, in quo mirabilis pietas & ſtupenda eruditio arctiſſimo ſeſe combinaverant vinculo, probe cognoſcens, *phyſicas indagationes ad deſtruendum atheiſmi virus maximi momenti eſſe,* largo honeſtoque ſancivit ſtipendio, ut quotannis octo ſacris orationibus Deus ex operibus ſuis publice commonſtraretur. Quod inſtitutum nunquam ſatis deprædicandum in hunc uſque diem continuatur. Conf. Præfatio præmiſſa libro *Clarkii* de *exiſtentia Dei*, gallice conſcripto. Vanas igitur atque fictas fabulas eſſe deprehendimus, quæ ob religionem Philoſophiæ naturali ejuſdemque profeſſoribus vulgo objiciuntur; ex ſequentibus illud adhuc clarius apparebit.

(*b*) Haud ita pridem D. BERKELY, Epiſcopus Cloynenſis, in Hybernia peculiari ſcripto, cui titulus: *The Analyſt* &c. evincere ſtuduit, matheſin erroribus in religione deteſtandis anſam præbere. Sed hæc abſona opinio, imo cavillatio, brevi poſt exploſa eſt tractatu inſcripto: *Geometry no friend to infidelity*, id eſt: *Matheſis atheiſmo non amica:* Vid. Nova litteraria Lipſ. Germanice evulgata: vulgo gelehrte Zeitungen pag. 605. an. 1734. Ab eadem calumnia Matheſin ſtrenue jam quoque vindicavit.

ter in rationes, quibus adverſarii huic commento album adjicere calculum allaborant.

II. Notiſſimum eſt, *ſaniores & cordatiores Phyſicorum univerſum mundum, & ſpeciatim quoque corpus humanum pro machinis, iis vero artificioſiſſimis, habere*, atque in illis talem corporum naturalium conjunctionem, & diſpoſitionem ſtatuere, qua, accepto ſemel impulſu motus concinni, maximeque ordinati producuntur, & exercentur; quouſque id ſummo, primoque placuerit Opifici atque motori. Ex hac ergo conſtructione ſolis ortum atque occaſum, mirabiles ſiderum motus, varias anni tempeſtates, verem pictis ridentem floribus, æſtatem canis ſuperbientem ariſtis, autumnum dulciſſimos largientem fructus, hyemem terram ſuis orbatam decoribus candida nive & lucida occultantem glacie, plantarum, animalium ipſorumque hominum generationes, vitas, interitus aliaque hujus generis phænomena derivant; atque illam vel naturæ harmoniæ, potentiæ actricis, legisque inſitæ mechaniſmi, vel aliis condecorare ſolent titulis. Contigit vero huic ſententiæ, quod pleraque hominum placita experiuntur. Prodierunt in ſcenam adverſarii, (*c*) qui eam impugnare atque rejicere alla-

1. Qui mechaniſmum ſtatuunt.

cavit. Cl. FROBESIUS, Philoſ. P.P. Helmſt. Præceptor & Fautor maximopere colendus, lib. de matheſ. nat. & conſtit. p. 22. ſqq.

(*c*) Primas inter hos tenent *Boylius*, *Sturmius* & *Malebranchius*. vid. acta Eruditorum. 1698. menſ. Septemb. p. 433.

allaborarunt, & hi, dum cuncta a Deo *immediate* moveri, regi, & gubernari credebant, & motum machinæ mundi ab ipſo tributum atque inditum prorſus tollere ſtudebant, omnes, qui admitterent naturam, vel mechaniſmum, & illum in explicandis phænomenis naturalibus adhiberent, in cauſis ſecundis ſubſiſtere, motum cum motore confundere, & ſic in deteſtandum atheiſmi crimen tantum non ſemper illabi contenderunt.

Mechaniſmus DEUM potius probat, quam tollit.

III. Sed tantum abeſt, ut hæc ad abnuendum Numen ſupremum anſam præbeant, ut potius ad illud cognoſcendum ſummaque pietate colendum trahant rapiantque vel invitos. Talis enim mechaniſmus, qualem paulo ante deſcripſimus, revera in hoc rerum univerſo conſtitutus a Deo eſt & ſtabilitus; (*d*) neceſſarium igitur eſt, ut is tanquam effectus

(*d*) Hoc in dogmate confirmando atque demonſtrando inprimis doctiſſimus SCHELHAMMERUS per eximium illud Germanorum Medicorum & Academiæ Juliæ quondam decus deſudavit & eo ipſo immortalem ſibi comparavit gloriam. Conf. lib. *de naturæ ſibi & Medicis vindicata*, item *naturæ vindicatæ vindicatio*: legi hic quoque meretur perſpicaciſſimus *Chriſt.* WOLFFIUS, in Metaphyſ. cap. IV. ubi ſequentia potiſſimum verba notatu & commemoratione digna mihi viſa ſunt: *Quoniam*, inquit, *mechaniſmus, quem hodie Phyſici & Medici ſtatuunt, in eo conſiſtit, ut quicquid in orbe terrarum naturali modo contingit, eſſentiæ corporum, & naturæ conveniens ſit, vel juxta commotionis leges contingat, ita quidem, ut e corporum eſſentia motusque regulis illud diſtincte explicari queat; me eviciſſe arbitror, illum* (ſc. mechaniſmum) *nullam involvere abſolutam neceſſitatem, ſed eo ipſo doceri, quid ſit verum, & divinam pandi ſapientiam,* quod

fectus de Deo tanquam ſua cauſa teſtetur: & profecto, ſi illum tam in *macrocoſmo* (ut loqui amant) ſive mundo, quam in *microcoſmo* ſive homine, attentis intuemur oculis, non poteſt non fieri, ut interrogemus: Quis finxit corpora, ex quibus præſtantiſſimæ illæ machinæ compoſitæ deprehenduntur? Quænam manus in iis fabricandis, conſtruendis, elaborandis occupata fuit? Cujusnam ſapientia eadem accuratiſſimum omnibusque numeris abſolutam redegit ordinem? Cujus potentia hiſce corporibus pulcherrime fabrefactis, artificioſiſſime conſtructis, ſapientiſſime connexis, impulſum dare valuit, cujus beneficio adeo ordinati exercentur motus? Et quis ea in hunc uſque diem ab omni perturbatione libera conſervat? Quæ, ſi ſerio perpenduntur, palam fieri oportet, *mechaniſmum ſuum Artificem*, *Effectorem* ſive mechanicum neutiquam tollere, ſed evidentiſſime manifeſtare; ubi enim eſt machina, ibi etiam neceſſario eſt aut fuit artifex, qui eam conſtruxit. Impoſſibile enim eſt machinam, quam vilis etiam ſit, ſponte

quod nimirum Deus, cum & rerum eſſentiam & leges motus longe aliter conſtituere potuiſſet, ac eædem revera conſtitutæ ſunt, omnia tamen ita compoſuit, ut nihil in orbe fiat ſine ratione ſufficiente, & ut alterum ſemper tanquam medium ſeu inſtrumentum reſpici debeat, quo alterum tanquam finis obtinetur. vid. annotat. ad Metaphyſ. §. 173. His ipſis vir illuſtris Medicorum atque Phyſicorum de Natura ſive Mechaniſmo ſententiam non tantum approbavit, verum etiam doctiſſime evicit, illam exiſtentiæ atque ſapientiæ divinæ neutiquam adverſari, ſed maxime conſentaneam eſſe. Sed hac de re inferius plura.

ſponte oriri, aut ſeipſum conſtruere poſſe, verum ſemper mechanicum requirit, adeoque ab hocce Phyſicorum dogmate, nullas omnino periculoſas hypotheſes in religione metuendas eſſe.

2. *Quia Deum & animam cum materia confundunt.*

IV. Deinde cum Phyſicorum officium flagitet, ut ſemper circa corpora perſcrutanda verſentur, adverſarii objiciunt, eos ita purum corrumpere intellectum, ut poſtea vix de rebus materiæ expertibus cogitare poſſint, ideoque *Deum & animam confundere cum materia*, quod æque periculoſum cenſetur, ac ſi aperte ipſam ſupremi Numinis exiſtentiam negarent.

Quod confutatur.

Ad hanc objectionem confutandam opus eſt, ut præcipua conſideremus momenta, quæ ſapientiæ antiſtites moverunt, ut a Deo, & mente humana omnem arcerent materiam: primo hic occurrit diligens contemplatio attributorum divinorum, quotquot per anguſtos humani ingenii limites perſpicere licebat, deinde accurata animadverſio facultatum in mente noſtra deprehenſarum, denique indefeſſa perſcrutatio corporis, hujus naturæ, conſtitutionis, qualitatum, affectionum & mutationum, quibus obnoxium eſt. His inter ſe legitima meditatione comparatis, perſpexerunt *attributa divina neutiquam cum corpore conjungi, & mentis facultates ex materia derivari nullo modo poſſe.* Judicarunt ergo, ac recte quidem judicarunt, & Dei & animæ eſſentiam a corporis natura longe eſſe alienam. Quinam ergo minus impuræ huic de Deo & anima notioni locum relinquent,

quient, quam qui in corporibus veſtigandis ſolerter animi ſui vires experiuntur?

V. Arguuntur tertio, *illos miracula ſacris in litteris tradita* ſecundum phyſices præcepta (*a*) indagando non tantum dignitate ſua privare, verum prorſus rejicere atque cum iis omnem ſimul evertere religionem. (*b*) Ad hæc reſpondeo, verum quidem imo veriſſimum eſſe, eos non obiter & abſurde more vulgi, ſed more ſapientum res, quæ ſupra naturam geſtæ dicuntur, perpendere; atque hanc ob cauſam factum eſt, quod varia pro miraculis ab imprudentioribus communiter habita, miraculorum numero haud accenſeant, ea

3. Quia miracula rejiciunt.

Hoc pariter falſiſſimum objicitur.

(*a*) Hoc fecundiſſimum plerorumque errorum, quibus Medici puriorem corruperint religionem, fontem & ſcaturiginem eſſe, autumat GERETIUS l. c. p. 6. *Alter fons eſt*, inquit, *quod illi, qui aſſueti ſunt, ingenio ac propriis ſenſibus, arcana naturæ rimari, idem quoque jus in ea, quæ ſunt ſupra naturam, interdum ſibi arrogare ſolent, curioſosque oculos in ſecreta cœleſtis illius providentiæ mittere, hincque divinas res rationi ceu dominæ, æque ſubjiciunt, illiusque decempeda metiuntur ac humanas. Ex hoc igitur fonte ſua hauriunt illi, qui creationis hiſtoriam, naturamque miraculorum in arcanis ſanctæ religionis litteris relatorum ſecundum leges motus phyſici, & medicinæ principia inveſtigare ſtudent., nihilque, quod ratione ſua aſſequi nequeunt, credendum eſſe autumant. Hinc fieri non poteſt, quin miraculorum virtus extenuetur, altiſſimaque fidei myſteria, naturalem intelligendi facultatem longe excedentia, cujusmodi ſunt creationis, trinitatis, incarnationis aliaque rejiciantur.*

(*b*) Hæc vulgo Phyſicis objici teſtimonio ſuo confirmat *Auctor apologiæ* VANINI. *Vulgaris*, ait, *illo opinio eſt, quod iis ipſis, qui tantos progreſſus in natura cognoſcenda fecerunt, ratio ſæpius de divinis miraculis ſuſpicionem injiciat.* p. 72.

ea nimirum, quæ per motus naturalis legis intelligi & explicari queunt. Verorum autem miraculorum virtutem nemo melius æſtimare novit, quam bonus Phyſicus & Medicus. Cum enim vires & leges naturæ exploratas habeat, omnium optime dijudicare poterit, quid ſecundum has ſit peractum, vel quid ſolo hujus nutu productum fuerit, qui illas & ferre & auferre pro lubitu & arbitrio valet.

4. Quia vulgi omnia parvi putant.

VI. Poſtremo cum inſolentia naturæ phænomena, ut cometas, auroras boreales, monſtra & ſimilia cum imperitis mira formidine illa conſiderantibus, omnium portentorumque titulis inſignire recuſent atque animo aſpiciant imperterrito, extemplo accuſantur, eos eſſe temerarios divinorum prodigiorum adeoque ipſius Supremi Numinis contemtores.

5. Quia plurimas de ſpectris & ſagis narrationes contemnunt.

VII. Vulgum (*c*) præterea hanc quoque ob cauſam illos crepare irreligioſos obſervamus, quia *ſpectrorum atque ſagarum* exiſtentiam in dubium revocant, & pleraſque de harum artibus

(*c*) Non vulgum modo, ſed nonnullos etiam doctos homines iſta præjudicata cepit opinio, ne dicam dementia. Ante omnia miror craſſam Th. Brownii, (quem tamen vulgo inter atheos referunt) alias perſpicaciſſimi, ſuperſtitionem hiſce verbis patefactam: *J have ever believed, and Donovv Knovv, that there are vvitches: they that doubt of theſe, do not only deney them, but ſpirits: and are obliquely, and up on conſequence a ſort not of infidels, but atheiſts*, hoc eſt: Equidem ſemper credi-„di, jam vero certo comperi, ſagas eſſe; qui has tol-„lunt, tollunt etiam ſpiritus, & indirecte atque per con-„ſequentiam non incredulorum ſed atheorum ſpeciem „conſtituunt. vid. *Religio Medici.* P. I. c. 30.

bus & illorum apparitionibus narrationes fabulis accenſent anilibus. Quam exigui vero ſint momenti hujus generis objectiones ad eos impietatis convincendos, nemo non prudentiorum hodie perſpicit: ita enim ſunt comparatæ, ut ſola enarratione confutantur, minus ergo neceſſarium eſſe arbitror, ut in iis prolixe evertendis oleum operaque perdatur.

VIII. Denique Cl. GERETIUS (*d*) pro fonte uberrimo putidorum errorum a Medicis erratorum *ſtudium Alchemiæ* declarat. Cum vero *Alchemia* ars ſit, quæ vel in emendandis, vel in transmutandis metallis verſatur, quis non videt revera in eadem nihil latere, quod atheiſmo vel aliis nævis theologicis feneſtram aperiat? Interim, neſcio quo malo fato, contigerit, complures huic ſcientiæ deditos in Theologiam, Medicinam aliasque diſciplinas abſona introducere ſtuduiſſe placita. Neque inficior ex Philiatris alchemiæ operam navantibus varios etiam ad nugas & ineptias in rebus ſacris fovendas abreptos fuiſſe. Aſt cum hoc ſtudiorum genus proprie ad Medicinam non pertineat, ſed æque ab aliis & cumprimis etiam ſæpe a Theologis excolatur; deinde cum Theologi, Jureconſulti, milites, nobiles, comites, imo principes viri, qui eidem ſe applicarunt, pariter in rebus theologicis lapſi fuerint, & erraverint, ac Medici, non comprehendo, quo jure illud pro cauſa venditari poſſit;

6. Quia Alchemiam excolunt.

(*d*) l. c. p. 8.

poſſit; ob quam hi præ ceteris impiis dogmatibus ſint opportuni.

SECTIO IV.

II. *Ob ſuperſtitionem medii ævi.*

I. MEdio ævo, quo ſumma in Europa dominabatur barbaries, hæc criminatio ad ἀκμὴν pervenit. Omnis fere eruditio penitus extincta erat, & qui adhuc animum ſtudiis liberalioribus & comprimis phyſicis vel mathematicis applicaverant, vel pro magis, vel pro atheis habebantur. Quare non mirandum eſt, cur Medicis præcipue ejusmodi ignominiæ notæ fuerit inuſta, cum bonæ ſcientiæ, & artes apud hos fere ſolos, ſi uſpiam illo tempore adhuc aliquem locum, & hoſpitium invenirent.

II. Accedebant Clericorum avaritia indeque nata impudentia & juſta Medicorum hanc ob cauſam ſeſe iis opponendi molimina. Ex quacunque re lucrum aliquod erat exſpectandum, hanc ſibi vendicare clerici ſtudebant. Itaque etiam in artem ſalutarem falcem immittere non verebantur. Quia vero ejuſdem minus gnari fuerunt, facile intelligi poterit, quam perverſe & incongrue de cauſis morborum judicaverint, & quam abſona remedia illis pellendis finxerint, commendaverint, adhibuerint. Morbos quoslibet rarius occurrentes, vel ipſis non ſanabiles, vel quorum cauſæ paululum abſconditæ erant, *dæmonum artibus fuiſſe productos* ſine ulteriori hæſitatione affirmabant.

mabant. Rigores ac diſtenſiones nervorum quodammodo vehementiores, tumores in variis corporis partibus præter naturam aſſurgentes, & ulcera veterata, quæ ſuis quiſquiliis curare non poterant, a *ſagarum præſtigiis derivabant*. Miſeri; quos epilepſia ferociſſimis agitabat cruciabatque motibus, pro obſeſſis ſæpe habebantur, & ſi membra puerorum, artubus bene recteque formatis natorum, morbus (quem *rhachitidem* Medicorum filii vocare ſolent) deformia reddiderat, ſani & recte formati pueri a diabolo ablati; ægrotantes vero atque deformes in horum locum ſuppoſiti credebantur. (*a*)

III. Præſtantiſſima, quæ noverant remedia, quæque decumbentibus commendabant, ut plurimum fuere *aqua luſtralis*, divinorum adminiſtratio officiorum ſive *Miſſarum*, *exorciſmi*, *mortua fruſta e divorum corporibus* reliqua, ſanctorum invocationes, (*b*) donorum ac mune-

(*a*) Vid. Parentis optimi programma, quo demonſtrat, *pueros pro ſuppoſitis a diabolo habitos rhachiticos* fuiſſe, junctum diſſertationi de rhachitide. Von den Wechſelbälgen. Helmſtad. 1725.

(*b*) Notatu digna ſunt, quæ de invocationis ſanctorum abuſu Alex. le FRANÇOIS Gallus & catholicæ religioni addictus tradidit: *Il n'y a perſonne qui ne ſcache combien il'ya eu d'abus en ces tems la ſur la guériſon des maladies par l'interceſſion des Saints. Elles étoient diſtribuées à differens Saints, comme il eſt marqué dans un livre qu'on à fait exprès pour apprendre à quel Saint on devoit avoir recours dans chaque maladie. L'un avoit, à ce que le vulgaire croyoit, le pouvoir d'en guérir une certaine eſpece, un autre Saint en pouvoit guérir une autre. On*

munerum iis factæ oblationes & alia ejuſdem generis. Rudis & maxime imperita eo tempore

On a cru que Saint Claire avoit un pouvoir ſpecial pour guerir les maux des yeux ; à cauſe de ſon nom on s'eſt imaginé qu'il devoit faire voir clair. On a attribué a Saint Saturnin le pouvoir de guérir les maux de tête, parce qu'en quelques endroits on lui donne le nom de Saint Atourni, & à cauſe de la reſſemblance des mots, on a cru qu'il pouvoit guérir du tournoyement ou vertige, qui eſt une des maladies de la tête, & l'on a enſuite étendu ſon pouvoir à toutes les maladies qui attaquent cette partie. On a invoque Saint Pancrace pour la goutte; & la raiſon qu'on à eue, c'a été que ce Saint étant appelle Crampace en quelques pays, on a penſé qu'il avoit le pouvoir de guérir les crampes, qui ſont une maladie des articles ou jointures ; & comme la goutte occupe les mêmes endroits, l'affinité qu'on a imaginée entre ces maladies, a fait attribuer au même Saint le pouvoir de les guerir toutes deux. On a eu devotion à Saint Mandé pour les enfans en chartre, ſur ce qu'on a cru à cauſe de ſon nom qu'il les faiſoit amander. Le nom de cette maladie les à fait porter auſſi à Saint Denis de la Chartre, qui eſt une Egliſe bâtie au lieu où étoit la Chartre, comme on diſoit autre fois, c'eſt-à-dire, où étoit la priſon dans la quelle ce Saint a été détenu ; ainſi c'eſt le nom de l'Egliſe qui a fait attribuer au Saint ce pouvoir, dont apparemment on a cru qu'il ne ſe ſervoit qu'en cet endroit ; car on n'a pas porté les enfans pour ce ſujet dans les autres Egliſes dédiées au même Saint. La croyance qu'on a eue ſur le pouvoir des autres Saints pour guérir les autres eſpeces de maladie, n'a guéres eu de meilleurs fondemens.

Omnia hæc latine apte verti, haud poſſunt, hinc mentem auctoris breviter tantum declarare ſequentem in modum ſtudui : „ Nemo, ait, ignorat, quantus eo tempore „(ſc. medio ævo) invocationis ſanctorum in ſanandis „ ægris fuerit abuſus. Morbi inter divos diſtributi erant, „ quemadmodum peculiaris liber quidam edocet, hunc „ unice in finem conſcriptus, ut exponeret, ad quem„ nam ſanctorum in qualibet corporis ægritudine confugien-

pore multitudo, clericorum verba oraculorum inſtar venerans, de quibus ne dubitare quidem licebat, coeco ardore his omnibus adſtipulabatur, & rebus iſtius modi contenta non alia remedia, nec Medicos fere quærebat. Quapropter, cum ſapientiores ſalutaris ſcientiæ cultores, qui hæc commenta, & artes illicitas cognoſcebant, iis aſſentiri recuſarent, imo ducti amore in miſeros homines tantopere deceptos ſeſe opponere nonnunquam conarentur; inexpiabile clericorum odium eos perſequebatur, homines impii, crudeles, rerum æque divinarum, ac humanarum irriſores dicebantur, & neſcio quavis alia afficiebantur contumelia.

SECTIO V.

I. DEnique accedit, Medicos ſuis ægrorum cauſa ſuſcipiendis negotiis, quæ plerumque in craſtinum diem ob periculum in

III. *Ob neglectum publici cultus divini.*

„ fugiendum ſit. Uni enim ſanctorum hanc morbi ſpeciem, „ alteri illam ſanandi facultas data vulgo credebatur. „ *Sanctæ Claræ* ob nomen ſuum potentia curandi oculorum „ infirmitates adſcripta eſt. *St. Saturnum* capitis morbos „ tollere poſſe putarunt. *Pancratius* in podagra invoca„ batur. In rhachitide infantum *St. Mandi* auxilium ef„ flagitarunt. Eodem in malo ad *St. Dionyſium* confugie„ bant &c. Atque tanta virtus divis hiſce viris unice ob „ nominum aliquam cum morbis ſimilitudinem attribue„ batur. Neque firmioribus ſuperſtructa ſunt fundamen„ tis, quæ de reliquorum ſanctorum vi alia morborum „ auferendi genera vulgo prædicantur. Vid. reflexions critiques ſur la medecine. Tom. II- Cap. VIII.

in mora differre non licet, ſæpe impediri, ut publice ſacra obire nequeant; propterea plebs & cum hac maxima olim ſeculis barbaris clericorum turba, nunquam veras rerum cauſas indagare ſolitæ, etiam hic in eas non inquirebat; ſed dum opinabantur huncce divini cultus neglectum ex religionis contemtione ortum ducere, omnia in ejuſmodi Medicos evomuerunt convicia, quæ improbi rei ſacræ ſpretores promerentur.

SECTIO VI.

Oſtenditur, quid ſit atheus.

I. ANtequam in defenſione Medicinæ & Medicorum ab atheiſmi criminatione ulterius progrediamur, declarandum nobis erit, quid per *atheum* intelligamus. *Eum vero unice tanti criminis reum eſſe agendum arbitramur, qui vel aperte confeſſus, vel indubitatis & certiſſimis convictus rationibus eſt, ſeſe negare exiſtentiam Numinis ſupremi, omnipotentis, ſapientiſſimi.* Nonnulli vix ſibi perſuadere potuerunt, orbem terrarum unquam aluiſſe ejuſmodi homines, quum monſtra potius, quam homines dicere fas ſit eos, qui in tantam inciderunt amentiam. (*a*) Sed veteres æque ac recentiores rerum geſtarum annales illud,

& dari atheos.

(*a*) Id quod aſſeverat doctiſſimus Auctor programmatis de veritate ſpirituum feſto angelis dicati (quod prodiit Helmſtadii 1734.) *Multi*, inquit, *viri eruditi contendunt, nullos eſſe atheos theoreticos.* Inprimis hoc etiam ſtatuit Th. *Brovvne* lib. de Relig. Medici. Part. I. ſect. 20.

illud, proh dolor! extra omnem ponunt controverſiam. Si vero cum SENECA (de ira L. 3. c. 29.) *cœperimus ante judicare, quam iraſci*, facile animadvertemus, longe minorem eſſe eorum numerum, quam vulgo creditur, & permultis hoc atro notatis carbone, ſummam inferri injuriam.

Sed longe minor eſt eorum numerus, quam vulgo creditur.

II. Plerique primo ſignificationem vocabuli *athei* nimis, quam par eſt, extenderunt; (*b*) omnes

(*b*) Hac de re præter alios valde conqueſtus eſt *auctor apologiæ* VANINI p. 23. ſpeciatim, ubi definitionem atheiſmi a *Voëtio* diſſ. de atheiſmo ſuppeditatam, laxam nimis & minus veram ſive perfectam pronunciat, ſequentia leguntur Verba: *Omnes ſpecies* (atheiſmi) *quas ſubjungit, recenſere ſuperſedeo; ex laxiori ſignificatione numerum atheorum, quem ſæpius mirari ſoleo, ſubortum judicans. Non ſolum enim Ethnici, Judæi, Mahomedani ſed & omnes omnino errore ſatæ hæreſes hoc nomine compellandæ eſſent, quarum aſſeclæ tamen DEUM licet minus recte fide, & verum Deum colunt. Intentatur crimen Ethnicis, & hi eorumque princeps* JULIANUS *ille apoſtata, Philoſophus, primis intentarunt Chriſtianis, qui Chriſti Salvatoris dulciſſimi nomen colunt, Romanos de atheiſmo poſtulant, & hi reliquos non minores numero. Illis ipſis hæreticæ pravitatis magiſtris hæreticus, eſt atheus, & atheus eſt hæreticus. Sic Eunomium Hieronymus, Arrium Athanaſius atheos appellitant, qui unum Deum nunquam negarunt. Eodem modo verbi illius utendi libido totas gentes crimine atrociſſimo notavit. In oriente Seres* ἄθεοι *quidem Celſo Origenis Antagoniſtæ, non quidem, quod Numen naturæ auctorem ignorarent, ſed quod ſtatuas forſan, aras & templa non haberent. Neque vero nomen in religionis ſolum negotio regnat, ſed & in rebus civilibus locum habet non poſtremum. Ab Hiſpaniarum partium Theologis Galli, Veneti omnesque alii, qui conſiliis & conatibus eorum minus favent, athei ſalutantur, & hi eodem nomine Hiſpanos inſigniunt. Gallo-*

Franci,

omnes enim atheorum cohorti accenſuerunt, qui non ſatis puram & perfectam de Deo notionem habuere. Imo nonnulli ad eum intempeſtivi fervoris gradum pervenerunt, ut ſub hoc titulo quosvis comprehenderint, *ab eccleſiæ dogmatibus in levioribus etiam*, ubi a diſſenſu nullum omnino ſalutis metuendum eſt periculum, *recedentes*. (*c*) Atque hanc ob cauſam atheorum caterva mirum quantum multiplicata fuit, & ex eo evenit, ut præſtantiſſimos viros, quibus fortaſſis ne in ſomnio quidem de ſummi Numinis exiſtentia dubitatio unquam in mentem venit, horum ſceleratorum conſortio aggregatos non ſine indignatione cernere cogamur.

III. Deinde conſequutionis lege (*d*) minus caute inſtituta & *detorquendo mirum in modum ſen-*

Franci, qui nutibus Romanæ curiæ ſe non mancipant, athei vocantur, & libertini, imo illi quicquid obſtat hoc crimine quaſi falce diſſecant.

(*c*) Hoc Cel. MORHOFFII auctoritate confirmatur, quando inquit: *Nunc ſane quotidie hanc multis inuri notam videmus ab illis, qui inoxiis ſententiis, ubi licitum eſſe poteſt divortium, atheos ſtatim & naturaliſtas crepant; quo calumnia ut nulla eſt atrocior; ita Chriſtianam charitatem in his, qui temere illam admittunt, plane extinguit.* Polyhiſt. Tom I. Lib I. c. VIII.

(*d*) Quam fallax & lubrica ſit lex conſequutionis ſumme venerabilis MOSHEMIUS, princeps Theologorum hujus ævi, in notis ad *Cudvvorthi* Syſt. intell. nota I. ad §. VII. Cap. III. lib. 1. docet. *Ita vero*, ait, *mihi dudum perſuaſum eſt, nullum veterum ſapientiæ antiſtitum, ne quid de recentioribus dicam, innocentem & pium fore, ſi illa omnia ſenſiſſe eos, pronunciare liceret, ad quæ nos præcepta eorum videmus ducere.*

ſententias, *ex innocentiſſimis ſcriptis ſæpe deterrima extorſerunt*, & hoc profecto viros ſpectatæ in Deum reverentiæ, imo illos ipſos qui ad commonſtrandum rerum naturæ Dominum, vires nervosque intenderunt, tanti criminis ſuſpectos reddidit, quippe quod HIPPOCRATIS, GALENI, TAURELLI, BROWNII, & aliorum exemplis patet.

IV. Tum multos ſolum odium & inimicitia aliorum, imprimis Theologorum aut clericorum, hujus impietatis reos egit. (*e*) Nam cum atheo nihil ſit deteſtabilius & hoc ipſo convicio nullum gravius excogitari queat, eos, in quos iram, & odium malitia hominum effundere vellet, ſine mora atheiſmi ignominia infamare ſtudebat; qua de re nullus dubitabit, qui perpendet, ipſum LUTHERUM, MELANCHTONEM, CUDWORTHUM, aliosque pereximios Theologos hanc injuriam ſive calumniam evitare non potuiſſe.

V. Poſtremo quocunque reſpicis, res creatæ ſuum tibi Conditorem ante oculos ponunt, quocunque te vertis, pleno eædem exclamant

(*e*) Huc ſpectare mihi videtur illud ERASMI ROTERODAMI: *Theologos ſilentio tranſire fortaſſe præſtiterit, & hanc camarinam non movere, nec hanc anagyrim tangere, utpote genus hominum mire ſuperciliosum atque irritabile, ne forte turmatim ſexcentis concluſionibus adoriantur, & ad Palinodiam adigant; quod ſi recuſem, protinus hæreticum clamitent. Nam ilico ſolent hoc terrere fulmine, ſi cui ſunt parum propitii.*

mant ore : exiſtit DEUS! (*f*) Multosne ergo adeo amentes, & corruptos fore credes, qui hanc evidentiſſimam omnibusque rebus inſculptam veritatem ignorarent? Hæc ſi ſerio perpenduntur, luculenter apparet, multorum nomina in atheorum catalogo delenda, & illum magnopere diminuendum eſſe. Eadem docent, decantatam illam calumniam, *quæ inter tres Medicos duos atheos numerandos temere cavillatur*, ſibilo explodendam eſſe, & ſimul jam magnam Medicorum partem hujus criminis ſuſpectorum ab eo liberos & immunes pronunciant. Accedamus nunc propius ad argumenti noſtri pertractationem.

SECTIO VII.

Medicina ſuppeditat graviſſima argumenta Deum probantia.

I. QUam abſone, & abſurde judicent ii, qui affirmant, artis ſalutaris præcepta ad atheiſmum ducere, facile intelligemus, ſi in mentem revocabimus illos, qui animum inducunt ex naturæ lumine, ſicut ſapientes decet, Dei exiſtentiam, ſapientiam & benignitatem comprobare, argumenta maximi ponderis ac perſpicuitatis ab iis rebus depromere ſolere, circa quas Medicina ſuos filios quotidie verſari jubet.

II. Quem

(*f*) Propter hanc documentorum DEUM probantium evidentiam Rex & Propheta DAVID omnes illos *ſtultos* appellat, qui *dicunt in corde ſuo, non exiſtit Deus.* Pſalm. 14. v. 1. & doctiſſ. BENTLEJUS, hujus veſtigiis inſiſtens, *de ſtultitia atheiſmi* peculiarem librum conſcripſit.

II. Quem fugit artificioſiſſimam corporis humani ſtructuram a doctiſſimis viris frequentiſſime hic in medium afferri ? & quid ea ipſa evidentius de ſuo Numine teſtatur ? Eſt machina ex infinita fere multitudine aliarum machinarum (*a*) conflata. In hac tanquam in microcoſmo ordo rerum æque perfectus ac ille, quem LEIBNIZIUS in macrocoſmo admirari toties ſuadet, & præ aliis rationibus Dei exiſtentiam probantibus commendat, ſeſe nobis ſpectandum præbet. In hac adeſt elegantia, & venuſtas omnium oculos mirifice delectans. Adeſt proportio nunquam ſatis extollenda. Quælibet fibrilla & membranula, quælibet pars, quam exigua, quam vilis etiam videatur, certis uſibus ac functionibus dicata eſt, & tali figura prædita, eo loco poſita deprehenditur, ubi illas perfectiſſime exercere valet, ita, ut vere TULLIUS exclamaverit : *Nihil in univerſo corpore inane, nihil ſine cauſa, nihil ſupervacaneum eſt.* Lib. 1. de natura Deorum. *Probatur hoc ex anatome.*

SECTIO

(*a*) Hoc verum eſſe omnes in corporis humani fabricam attenti facile animadvertunt. Deprehenduntur enim ibidem fulcimenta, columnæ, trabes, vectes, trochleæ, cunei; atque horum munere oſſa funguntur : obſervantur funes, quos muſculi conſtituunt. Cor imitatur ſiphonem ; pulmones vero ſunt folles ; glandulæ inſtar cribrorum filtrorumque agunt ; tuborum, canalium, alveorum, receptaculorum exempla dant ſtomachus, inteſtina, venæ, arteriæ ; atque in oculis camerarum obſcurarum artificium expreſſum eſt. Longe pluribus illud illuſtrare exemplis quilibet ſtructuram corporis ſui cognoſcens facile poterit.

SECTIO VIII.

Speciatim ex fabrica oſſium.

I. UT vero majori veneratione Deum ejuſque ſapientiam in condendo homine manifeſtatam admirari diſcamus, brevem primo *oſſium* inſtituamus contemplationem. Perpendamus, quam miſeri eſſemus cenſendi, ſi natura nobis ea negaſſet, neque ſtare erecti, neque ambulare poſſemus, cum vermibus & ſerpentibus inter animantia viliſſimis & ſordidiſſimis in humo ac ſqualore rependum eſſet. Nobiliſſima præſtantiſſimaque corporis noſtri organa ſuis penitus orbata munimentis, & externis injuriis nimis expoſita fuiſſent, quilibet impetus ea læſiſſet, ſanitate nos privaſſet, vitam eripuiſſet. Ah! quam immenſa fuit gratia Dei, quæ nobis iisdem tam ſapienter proſpexit! Duriſſimæ ſunt totius corporis partes, quia ad reliquarum molem geſtandam atque ſuſtentandam data fuere; & numerus eorum ingens eſt. Audiamus optimum *Parentem* hujus rei utilitatem eleganter exponentem: *Ne corpus*, inquit, *hominis ſtipes ſit, aut immobilis ſtatua, non ex unico oſſe, neque ex pluribus firmiter inter ſe concretis, fabrefactum eſt; verum ex multis imo quam plurimis iisque a ſe invicem ſejunctis, ac mobilibus.* (*a*) Subſtantia ipſorum, licet reliqua membra duritie & ſoliditate ſuperet, ſpongioſa tamen eſt, plenaque cavernularum, ut nutriri, ut creſce-

re,

(*a*) In programmate *Dei cognitionem ex oſſium articulationibus* oſtendente, Helmſt. edito. An. 1727.

re, ut faciliori negotio ab organis ad motum datis commoveri queant. Incurvata reperies nonnulla, & quidem prudenti conſilio incurvata, quorum nempe muneribus recta obeſſet conformatio. Alia obſervabis recta, quæ hac ratione fines ſuos optime aſſequuntur. Hæc glabra, illa ſunt aſpera. Hæc proceſſibus ſunt exornata, (quos Medicorum filii apophyſes vocare ſolent,) illa eminentiis deſtituta animadvertuntur. Multa ſunt foraminibus pertuſa, multa cavis inſtructa deprehendimus. Et in tanta rerum varietate ne minima quidem indicari poteſt, quæ non ob uſus præſtantiſſimos creata fuerit.

Femoris Tibiæ Fibulæ & pedis extremi.

II. *Femur*, *tibia* & *fibula* magnitudine ac robore reliqua ſuperant oſſa. Suſtinent tanquam fortiſſima fulcra ædificium & ad nutum animæ modo huc, modo illuc totius corporis molem promta parataque transferunt. Eorum fundamentum *pes* eſt, quem *tarſus*, *metatarſus* ac *digiti* conſtituunt, & quem providens natura in hominem multo longiorem finxit, quam in reliquis animantibus, quia

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus. (*a*)

Duobus ejusmodi fulcris inſtructi ſumus, hoc quantum ſit beneficium tunc demum grato agnoſcimus animo, quando miſeram illorum conditionem perpendimus, quibus alterum vel a natura negatum, vel, quod frequentiſſime accidit, externa violentia ablatum eſt:

quot

(*a*) Vid. Ovidius Metamorph. Lib. 1. v. 85.

quot enim incommodis horum ſtipata ſolet eſſe ambulatio, quoties infelici lapſu aliorum membrorum læditur integritas, & quantam facit machinæ ceterum elegantiſſimæ venuſtas jacturam?

Patella. III. Legum motus periti, ſi cum compendio corpora movere ſtudent, trochleis ſæpiſſime, & felici cum ſucceſſu utuntur. Videntur hoc artificium ex genu conformatione didiciſſe. Frequens, & ſumme neceſſaria commotio multas requirebat vires. Molis muſculorum illud moventium augmentum vel eorum multiplicatio læſiſſet ædificii pulchritudinem, vel alia peperiſſet incommoda. Evitavit hæc Conditor ſapientiſſimus prudentiſſimo conſilio, poſuit enim in locum, ubi femur & crus conjunguntur, os aliquod exiguum, quod ob figuræ ſimilitudinem *patella* appellatur, duxit ſupra hanc muſculos tanquam funes tibiæ extenſioni deſtinatos. Hi ergo ſi vires nervosque intendunt, illa trochleæ fungitur munere. Quo ſane artificio muſculorum actio magnopere adjuvatur, crurisque elevatio mirum quantum facilitatur. Quis ex hoc mechaniſmo, qui ſtipes non eſt, præſtantiſſimam ſummi Mechanici artem non perſpicit venerabundus?

Oſſium innominatorum & oſſis ſacri, IV. *Oſſa innominata cum oſſe ſacro* efficiunt cavum, in quo nobiliſſima viſcera latent recondita. Hic eſt prima infantum, embryonum, homunculorum ſedes; adeo firmum, & contra externas injurias tantopere munitum habitaculum tenerrimo conceſſum eſt

em-

embryoni, qui, ut eo melius molis augmentum capere, ſine omni moleſtiæ ſenſu recubare & juſto tempore ex hoc ſuo domicilio illæſus exire poſſit, cavum illud in mulieribus longe amplius, quam in viris formatum, attenti maxima cum admiratione perſpiciunt.

V. Ab oſſe ſacro mirabili plane artificio osſibus innominatis commiſſo aſcendit columna oſſea, *dorſi ſpina* nominata. Hâc quid unquam majori arte fabrefactum eſt? Quatuor & viginti oſſa, laxius ſibi invicem nexa, totam conſtituunt columnam. Quæ, ſi ex unico tantum conſtaret fruſto, rigidus homo nimis, ſtipiti ſtatuæque immobili ſimillimus foret, & ad innumeras actiones ineptus redderetur. Nunc vero modo inclinare, modo erigere corpus, modo terram aſpicere, modo *erectos ad ſidera tollere vultus* pro arbitrio ſine omni moleſtia poteſt. Atque ab omnibus hiſce motibus, qui vertebras tam varie ac mirabiliter flectunt & contorquent, cerebri illa continuatio per medium earundem tranſiens tanta mollitie tanta ſenſibilitate inſtructa vix unquam læditur. Cujus rei contemplatio non poteſt non omnium prudentiorum animis ſummam injicere admirationem; licet ſtupidiores plerumque ad hæc artificia divina parum attendant. Digna denique etiam eſt attentione elegantiſſima columnæ iſtius in formam pyramidis conſtructio. Superiores enim vertebrarum admodum exiguas deprehendimus, inferiores autem, quo propiores baſi, eo grandiores animadvertuntur, id quod hunc in

Spina dorſi.

C finem

finem potentiſſimus rerum Conditor tam ſapienter diſpoſuit, ut inferiores tanto majori polleant vi ac robore ad ſuſtentandam ſuperiorum molem. (*a*)

Coſtarum. VI. Uti ab arboris trunco rami, ſic a dorſi ſpina proveniunt *coſtæ*. Duodecim numero ex quolibet ſpinæ latere excurrunt, & utræque ſeries grato ſpectaculo incurvatæ ad ſe invicem vergunt atque in ſterno terminantur. Has eo loco natura ſapienter poſuit, ubi partes ad vitam conſervandam ſumme neceſſariæ ambiendæ, muniendæ, tuendæ erant. Quantum elucet artificium ex admirabili cum vertebris articulatione, quæ ita conſtituta eſt, ut coſtarum elevatio ac depreſſio actiones in trahendo, emittendoque ſpiritu principes rite & ſine ullo incommodo celebrari queant? Quam prudenti conſilio ſuperficiei coſtarum internæ ſulcos, tanquam latebras vaſorum intercoſtalium inſculptos deprehendimus? quæ, niſi ita locata eſſent, facillime ſæpius læderentur, & mortem vulnerato inducerent.

Artuum ſuperiorum. VII. Nunc *artus ſuperiores* ſeſe nobis conſiderandos offerunt. Hi ſunt arma, quibus homo ſe, vitam corpusque tuetur, declinatque ea, quæ nocitura videntur. Hi ſunt inſtrumenta, quibus omnia, quæ ad vivendum ſunt neceſſaria anquirit & parat. *Clavicula* in animantium quatuor extremitatibus præditorum genere ſolus fere homo, (ſi ſimiam, ſciurum

Claviculæ.

(*a*) Vid. *Timmius* de exiſtentia Dei ex ſpina dorſi demonſtranda. Bremæ. 1735. 8.

ſciurum, paucaque alia excipias) inſtructus eſt, quia artus ſuperiores ipſi ad nobiliores uſus, quam quadrupedibus plerisque dati fuere. Totum ſuſtentat brachium & impedit, ut ne nimis verſus pectus ruat, quo ipſo effectum eſt, ut illud ſeſe liberrime elevare, deprimere, antrorſum, retrorſum movere, & ſexcentas actiones facillimo negotio, maximaque gratia & decore perficere queat. Denique ab eadem clavicula innumeri excipiuntur impetus, & a vaſis ſanguiferis ſubclaviis dictis, ſub ea repentibus, quorum læſio fere nunquam non mortem inferre ſolet, feliciſſime avertuntur.

VIII. Partem thoracis poſteriorem *Omoplata* os inſignis latitudinis obducit. Munit inſtar valli & muri cor atque pulmones, viſcera tantæ nobilitatis & neceſſitatis, ut earum actionem vita, quietem vero mors tanquam umbra corpus ſequatur; atque eadem ab inſidiis a tergo minitantibus, quibus toties expoſiti ſumus, & quas ſæpe vix ac ne vix quidem noſtra effugere prudentia poſſumus, robore ſuo ſarta tectaque conſervat. Ejusdem ſcapulæ auxilio brachium cum corpore jungitur: fovea humerum excipit, eum in finem minus profunde excavata, ut ille (ſc. humerus) liberrime poſſet agere & in infinitis motibus exercendis nullum omnino inveniret obſtaculum. *Scapulæ.*

IX. Brachium in duas partes quaſi fractum eſt. Superior ex unico tantum conſtat fruſto, ſed firmo & valido, ut injuriis externis *Brachii.*

fortius reſiſtere poſſit. Inferiorem autem benigna natura duobus donavit oſſibus, ut reſarciretur numero, quod robori & firmitati deeſt, & ſi unum ex illis etiam pateretur læſionem, ut alterum tamen incolume ſupereſſet, cujus beneficio plurimæ adhuc functiones perficerentur.

Manus. X. Quam admiranda in *manu* contemplanda occurrunt! Compoſitio eſt ex multis exiguis oſſibus mirum in modum inter ſe connexis & articulatis conflata. Comprehendit arma, quibus hoſti obviam imus, & ejus inſultus propulſamus. Reſeratur munifica, dum dona ſua inter egentes diſpertitur. Grata obcluditur, quando munera accepit. Pictor artis peritus eadem ad ſtuporem uſque in plano effigiat, & repræſentat corpora. Labor improbus hominum horologia, machinas, ſimile quid vitæ gerentes, manuum auxilio fabricare excogitavit. Muſici digitorum tanto articulorum numero inſtructorum ope tam ſcienter fidibus, ac tibiis cantant, & ex iisdem incredibili celeritate ſonos eliciunt mirabiliter noſtrum demulcentes auditum. GALENUS ex *pollicis tantum fabrica Deum exiſtere commonſtravit*, quidni idem ex elegantiſſima totius manus (*a*) conſtructione evinci poterit?

Capitis. XI. Faſtigium hujus ædificii regia mentis ſenſuumque ſedes *caput* occupat, quod tanto magis hunc locum promeretur, quo nobiliores ejus incolæ & quo melius exinde anima cun-

(*a*) Vid. *Chriſtiani Donati* demonſtratio Dei ex manu humana. Viteberg. 1686. 4.

cuncta explorare poteſt, quæ circa totum corpus peraguntur. Inſiſtit ſupremæ colli vertebræ, & cum hac ita jungitur, ut ſeſe erigere, & divina miracula in alto poſita ſuſpicere poſſit; ut ſeſe flectere, & in rebus in terra creatis floribus aliisque rebus quam amœniſſimis paſcere oculos, ut ſeſe dextram vel ſiniſtram verſus movere pro voluntatis nutu & deſiderio queat.

XII. Ad *cranium* conſtituendum octo conſpirant oſſa. Recondunt hæc, fovent, defendunt cerebrum, theſaurum corporis noſtri pretioſiſſimum illud omnium firmiſſimum & validiſſimum eſt, quod tenerrimo cerebello pro munimento inſervit, quia hoc ipſum reliquas univerſi corporis partes non tantum mollitie & ſubtilitate, verum etiam neceſſitate vincit, quum eo læſo mox vita pereat. Multis calvaria *futuris* exornata conſpicitur. Hæ ſunt eminentiæ eleganter denticulatæ, quibus oſſa ejus adeo apte & arcte conjunguntur, ut, ſi ſemel coaluerint, vix ulla adhibita vi aut induſtria rurſus divellantur. In pueris disjunctæ obſervantur, ut caput in partu tanto melius anguſtari, poſt partum vero eo facilius extendi & incrementa capere queat. Exhalationibus cerebri inertibus viam & exitum pandunt. Medicamina in capitis morbis applicata ad hujus interiora penetrare ſinunt, duram meningem inter ſuas recipiunt commiſſuras, & mirabili artificio calvariæ arcte affigunt. Inferior pars vel fundus cranii ab externis læſionibus ma- *Cranii.*

xime immunis, inſigni *foraminum* numero pertuſus eſt. Per hæc tanquam per portas modo vaſa intrant, & neceſſarios advehunt humores, modo exeunt & abundantes rurſus evehunt ſuccos. Per hæc nunc nervi perceptas rerum imagines afferunt, mentique vivide repræſentant, nunc liquidum ſuum ex cerebro ad ſenſus vel motus inſtrumenta deferunt, voluntatisque ſive animæ mandata exercent. Quis denique *ovo ſimilem* cranii *figuram*, ſi eam intentis conſiderabit oculis, ſine ſumma admiratione adſpiciet? Hæc profecto toti corpori mirificam conciliat gratiam, venuſtatem & pulchritudinem. Hæc humorum per vaſcula cerebri ſubtiliſſima circuitum liberrime peragi ſinit. Hæc imitatur fornices, & cranio robur conciliat aptumque reddit ad ſtupenda onera ſuſtentanda, ad graviſſimos impetus perferendos. Conſumant ſapientiſſimi hominum ætatem, fingendo alias cranii figuras, videamus an non omnes, quascunque producturi erunt, vel venuſtatem corporis vel robur capitis lædent, vel ſexcenta alia ſecum ferent incommoda. Vere igitur ſapienterque judicavit divus GALENUS, πάντα ὄυτως ἔχοντα καλως, ὡς ὀυκ ἀν ἐνδεχεσθαι ἔχειν ἄλλως βελτιον: *Omnia* (ſc. in corpore humano) *tanta arte condita eſſe*, *ut melius eadem conſtrui nullo modo poſſint.* De uſu part. Lib. III. c. X.

Maxillarum. XIII. In capite *Maxillæ* adhuc conſiderandæ reſtant, quarum ſuperior ex multorum oſſium congerie exſtructa eſt. Jungit oſſa cum cra-

cranio, & duas efformat foveas, in quibus oculi, vigiles & cuſtodes corporis, tanquam in ædiculis excubatoriis ſecuri latitant. Nervis olfactus gratia e cerebro emiſſis, ne facile læderentur, tectum ſuperinducit oſſeum. Oſſe vomeris ſimilitudinem gerente nares in duas disjungit cavernas, ut, ſi etiam alterutram morbus aliquando invaderet, altera tamen pro libero uſu reſpirationis ac loquelæ incolumis & nulla calamitate tacta perſiſteret. Dentibus etiam domicilia ſuppeditat, dum eos ſuis alveolis firmiter includit. *Inferior mandibula* ex unico tantum in adultis fruſto conſtat. Continet inferiorem dentium ſeriem, & articulatur cum ſuperiore maxilla per valida ligamenda & muſculos: atque ita quidem articulatur, ut, ſi vel loqui, vel cantare placeat, vel ſi cibos dentibus interceptos, conſcindere & diſcerpere velimus, modo ſe abducere, modo quam firmiſſime adducere, nunc os aperire, nunc claudere pro lubitu queat. Vis ipſi indita eſt plane ſtupenda, ſiquidem illius compreſſione diffringere corpora & contundere poſſumus, quæ vix ponderi trecentarum librarum cedunt. (*a*)

XIV. Dentes utriusque mandibulæ alveolis clavorum in modum infixi, tanta gaudent duritie, ut quando totum corpus & reliqua ſimul oſſa comburuntur, hi tamen a flammarum *Dentium.*

(*a*) Ingens maxillæ hujus & ſuorum muſculorum robus PARENS venerandus pluribus demonſtravit diſſ. de maſticatione. Altorfii. an. 1711. edita.

rum violentia ſæpe intacti permaneant, quo fit, ut dura corpora tanto facilius diffringere valeant. In oris veſtibulo illos natura locavit, qui *inciſores* dicuntur & forcipum inſtar cibos decerpunt. Proxime ſtant *canini* dicti, acuminatorum cuneorum figura præditi, tenaciſſima divellentes & duriora diſtringentes corpora. Sequuntur tandem ii, qui ampli ac aſperi *molares* vulgo appellati, mole ac robore reliquos ſuperant, ideoque ad comminuenda, atterenda ac contundenda alimenta pro faciliori eorum deglutitione & in ſtomacho concoctione maxime apta ſunt. Cœcior talpa profecto is erit cenſendus, qui non perſpicit, ipſum ſceleton exiſtentiam ſupremi Numinis evidentiſſime declarare. Vere igitur & eleganter poëta cecinit: (*a*)

Exuviæ ſine voce docent & mortua fruſta,
Monſtrant in minima parte latere Deum.

SECTIO IX.

Ex muſculorum ſtructura & actione.

I. EX oſſibus ergo Ens ſapientiſſimum & potentiſſimum ſive Deus luculenter cognoſci poteſt, aſt ejus bonitas, ejus ſapientia luculentius adhuc apparebit, ſi motus inſtrumentorum ſive *muſculorum* attenta ſimul inſtituetur contemplatio. Hos nobiliſſimas totius

(*a*) *Barlæus*, Medicus, in miſcell. lib. II. in locum ſive theatrum anatomicum Amſtelodami exſtructum.

totius corporis partes appellare neutiquam vereor. Omnes enim corporis humani actiones eorundem beneficio perficiuntur. Quam miſeri ergo, quam imperfecti eſſemus, ſi ceteræ etiam partes pulcherrimæ fabræfactæ fuiſſent, auctori & effectori tamen noſtri corporis, id eſt bono Deo, ſine muſculis nos creare placuiſſet. Vix ſcio, quænam tunc inter nos & mutas ſtatuas artificioſe conſtructas interceſſiſſet differentia. Ne *vivere* quidem ſine iis hominem poſſe nemo neſcit, qui cauſas vitæ perſpectas habet.

II. Cor ipſum, illud naturæ miraculum, illud perpetuum mobile, noctes atque dies ſine fatigatione intra præcordia centies fere millies pulſitans, primarium vitæ organum, nil aliud eſt, niſi muſculus. Et *reſpirationem* alteram ad vitam ſumme neceſſariam actionem, ſine qua, ut omnes norunt, vix per momentum horæ vivere poſſumus, amico innumerorum concurſu muſculorum peragi quis ignorat? *Ex corde.*

III. Totum fere *nutritionis* negotium illis etiam abſolvitur. Morſus, manducatio, deglutitio ſunt eorum opera atque effectus. Ventriculus & inteſtina in cibis digerendis, propellendis, ſucco nutritioni apto ad vaſa lactea determinando, inutilibus recrementis eliminandis maximam vim edunt tunica fibris muſcularibus mirum in modum inter ſe contextis conſtante. *Ex manducatione.*

IV. Muſculi præterea ſunt inſtrumenta, *quibus præcipue mens ſuum in corpus imperium* *Ex imperio, quod*

mens in corpus per muſculos exercet. *modo incomprehenſibili exercet.* Sunt quaſi totidem funes, quibus reliquæ partes pro lubitu & arbitrio noſtro trahuntur atque retrahuntur. Vix voluntas decrevit loci mutationem, ſine mora *pedes* progrediuntur & totius corporis molem, quocunque nobis ire placeat promtiſſime transferunt. *Manus* ad nutum animæ paratæ, ſi labores perficiundi extemplo operi ſeſe admovent, ſi hoſtes adoriuntur, vel loco armorum ſunt vel arripiunt arma & eorum fortiter repellunt injurias.

Ex lingua. V. Ineffabile beneficium optimus Creator homini largitus eſt, dum ipſi *muſculos in ore* collocavit quorum ope loqui & animi ſui ſenſa cum aliis communicare valet. Hos conjunctos *linguam* dixere, animæ interpretem. Et quam alacris, quam mobilis illa eſt! In ſingulis litteris pronunciandis, in ſingulis vocabulis tot diverſarum linguarum & gentium eloquendis, motus formare debet diverſiſſimos; atque ut Europæos noſtros nunc taceam, alios in auras effundit ſonos, ſi Æthiops, alios ſi Perſa, alios ſi Antipodes noſtri verba faciunt. Utinam quilibet hæcce perpendens linguam ſuam in Conditoris commoveat laudes!

Ex mobilitate oculorum. VI. Nunquam ſatis deprædicanda commoda in nos redundant ex *admirabili oculorum mobilitate ſex muſculis* artificioſiſſime *conſtructis* adminiſtrata. His enim trahentibus, quieſcente licet reliquo corpore, vel ſuperiora contemplari, vel inferiora deſpicere, vel quæ ante

ante nos vel quæ ad latera aguntur & poſita ſunt obſervare diſtinctiſſime poſſumus. Quantas Tibi, bone Deus, debemus gratias, quod nobis adeo nobilibus adeo præſtantibus proſpicere organis clementiſſime voluiſti!

VII. Si quid autem unquam me in ſummam admirationem imo ſtuporem rapuit, certo id ingens *muſculorum robur & incomprehenſibilis agendi velocitas* attente contemplata præſtitit. Rerum geſtarum annales referunt quoſdam cum urſis atque leonibus non armis, ſed manibus dimicaſſe & triumphantes ex acie prodiiſſe; alios digitis enecaſſe tauros, alios catenas ex ferro confectas, alios funes robuſtisſimos, mira dilaceraſſe facilitate narratur. In hunc uſque diem inveniuntur, qui brachiorum ope pondera triplo graviora corporis ſui mole elevant. Varii idem propemodum muſculis maxillas conſtringentibus præſtant. Multi iisdem duriſſima diffringunt corpora, quæ, ut ſupra jam indicavi, vix ponderi trecentarum librarum cedunt. *Incredibili muſculos agitare celeritate* deprehendes, ſi gladiatorum, ſaltatorum & geſticulatorum exercitiis aderis. Attonitus volitare eos in aura credes: umbræ tibi, non corpora eſſe videbuntur; valentibus oculis, valente auditu cæcus & ſurdus eris; omnemque ſenſuum vim & aciem mirabilibus ſuis commotionibus eludent, confundent, perturbabunt. Quanta agilitate atque volubilitate tibiis fidibusque cantantes digitos ſuos commovent, contremiſcunt, ſuaviſſimos ſonos eliciunt, nectunt, mu-

Ex muſculorum robore atque agilitate.

mutant, modulantur? Id omne peragitur muſculorum, inprimis autem *perforantis atque perforati* auxilio, quorum admirabilem fabricam, quotiescunque conſiderare licuit, ecſtatica quaſi Numinis reverentia ſemper ſuſpexi, eamque non ſine potentiſſimi & ſapientiſſimi Numinis virtute fabricari potuiſſe venerabundus cognovi.

VIII. Quis vero carnoſas tendineaſque fibrillulas tanto cum artificio condere & nectere ſcivit, ut adeo egregios in corpore noſtro præſtent uſus? Quis illis tam ſtupendum robur, tam admirabilem tribuere agilitatem valuit, quam modo non ſine peculiari commotione animi perpendimus? *Soli ſupremo Numini hæc opera ſunt adſcribenda*, & lapides atque fungos dici oportere omnes illos arbitror, qui ex horum legitima atque ſeria conſideratione Deum & incomprehenſibilem ejus ſapientiam intelligere nolunt.

IX. Non minoris valoris rationes idem evincentes *ex ſola cordis fabrica* atque *motu*, ex *cerebri*, *oculi*, *auris* aliorumque ſenſuum organis itemque ex vaſorum ſanguiferorum atque ex nervorum ſtructura & actione, ex *membris, quæ procreationis gratia corpori natura affixit*; verbo, ex quibuſcunque univerſæ machinæ humanæ partibus haurire licet; ſed quum de his plura facere verba noſtrum propoſitum non flagitet, benevolos lectores in auctores ablegamus, qui ex inſtituto illa pertractarunt argumenta. (*a*) *SECTIO*

(*a*) Vid. Cel. STURMIUS, Mathematicus & Phyſicus Altor-

SECTIO X.

I. MEdicus autem non tantum in contemplanda corporis noſtri fabrica verſatur, ſed dum ipſi vel ſanitas præſens hominum tuenda, vel labefactata in ſtatum integrum reſtituenda eſt, vi officii obſtringitur, ut *remediorum conquirendorum* gratia *univerſam rerum naturam* perſcrutetur. ***Ex totius rerum Naturæ contemplatione.***

II. Inquirit itaque in *piſces*, quos vaſtiſſimus alit oceanus. Rimatur tot *avium* genera, per purum ac tenue cœlum volitantia. *Formicam* æque ac *elephantem* contemplatur, & in uſus ſuos convertit. Deſcendit in terram & intimis hujus viſceribus *mineralia* varia ac *metalla* abſcondita inveſtigat. Aſcendit cogitatione *ad aſtra*, & ſciſcitatur, utrum quædam ex iis vim habeant in corpora noſtra. Neque *aquam* neque *aërem* intactum relinquit. Horum naturam, qualitates, & uſus rite indagare ſumma nititur ope. Sed quid hæc omnia niſi Deum ſive potentiſſimum eorum conditorem nobis demonſtrant?

SEC-

Altorfinus pereximius, in *oculo Theoſcopo*; HAMBERGERUS Philoſophus Jenenſis egregius, diſſ. *de Deo ex inſpectione cordis demonſtrato*; Jo. Andr. SCHMIDII, Theologi Helmſtadienſis præſtantiſſimi, diſſ. *auris θεοδεικτος*; Cl. WUCHERERUS *de Dei demonſtratione ex cerebro*; Cel. FEUERLINUS, *de Deo ex loquela demonſtrato*; Excell. *Fr.* HOFFMANNUS, *de Atheo convincendo ex ſtructura corporis humani*, denique etiam *Parens* variis in programmatibus, de ventriculo, inteſtinis, partibus generationi dicatis, aliisque & innumeri alii.

SECTIO XI.

Inprimis ex regno vegetabili.

I. ADmiremur adhuc PLANTAS, quarum diligens conſideratio ante omnia Medico curæ cordique eſſe debet; & quæ de ſuo Auctore atque Conditore tam evidenter teſtantur, ut dudum Poëta agnoverit atque profeſſus fuerit:

Vel levis eſt ceſpes, qui probat eſſe DEUM.

Sunt autem plantæ quaſi periſtromata terræ nigredinem & rude quaſi chaos pulcherrime occultantia; *oculi* gratiſſimis earum coloribus mirifice paſcuntur, neque minus quam amœniſſimis, quos ſpirant, odoribus delectatur *olfactus. Multitudo* vix numeranda, quemvis ſapientem ad ſummam trahit admirationem; hinc jam diu DAVIDES exclamavit; *quam ampla ſunt opera tua, ô Jehova, quam ea omnia ſapienter feciſti!* (*a*) Elegantiſſima æque ac diverſiſſima cujuslibet conformatio ratione radicis foliorum, florum & ſeminum ſive fructuum ſine ſtupore conſiderari nequit. Ex plantis ſingulo autumno pereuntibus, & quaſi morientibus, ſingulo autem vere iterum prodeuntibus & reſurgentibus, *reſurrectionem mortuorum* concipere poſſumus.

II. Porro *ut ſanis corporibus alimenta, ſic ægrotantibus medicamina promittunt.* Frumenta, fructus, olera, legumina, radices, a quibus

(*a*) Pſalm. 104. v. 24.

bus dulciſſima, ſaluberrima, optima petuntur fercula e Cereris ſinu , hoc eſt , e plantarum familia prodeunt. *Vinum*, quod ſecundum ipſius divi Regis DAVIDIS effatum, *cor hominis exhilarat.* (*b*) vitis ac uvæ porrigunt; & ſuaviſſimus ac ſaluberrimus *cerevi-ſiæ* potus , quæ aqua in ſpeciem vini mutata merito dici poteſt , ex tritico hordeo ac lupulo vel ex aliis frumentis ſolet parari.

III. Prima, quibus primus ſeſe tegebat homo, velamina, *ficus* folia ſuppeditabant. A *goſſypio* & *lino* hodie adhuc nobiliſſima ac maxime neceſſaria deſumuntur veſtimenta. Eadem *arbores*, quarum rami tempore æſtatis contra ſolis fervorem nos defendunt, *hyeme materiem dant*, *cujus beneficio frigoris vim infringere*, & a corporibus noſtris arcere *poſſumus. Ex ligno domus & tecta exſtruuntur* , in quibus a tempeſtatis injuriis ſecuri requieſcimus, imo exſtruuntur ex hoc *navigia* ſplendidiſſima artis humanæ opera, quorum beneficio vaſtum tranſimus oceanum, terras incognitas, quas alibi univerſi conditor creavit, cognoſcimus, & res nobis deficientes e longinquis arcesſimus regionibus.

IV. Quid *de ſtirpium uſu in pellendis ægrotantium calamitatibus* dicam ? Inter omnes conſtat eas ditisſimi pharmacorum theſauri maximam partem conſtituere, & vix morbus indigitari poterit , cui non , dummodo vis ejus nondum nimis invaluit, & *docta plus valet*

(*b*) Pſ. 104. v. 15. it. Syracid. cap. 41. v. 20.

let arte malum herbula quædam vel radix, vel cortex, vel alia ſtirpis pars felici cum ſucceſſu opponi queat.

V. *Julius Cæſar* VANINUS ob atheiſmi crimen accuſatus, coram ſenatu Toloſano ex paleæ ſive ſtraminis, forte fortuna tunc reperti, fabrica & conſtitutione Dei exiſtentiam copioſe, pie & diſerte ut ipſi hoſtes ipſius fatentur, commonſtravit, (*c*) at non auditus ſine miſericordia acerbiſſimam mortem mori coactus eſt: qua vero de re pluribus infra. Quanto majori cum auctoritate & argumentorum pondere dicere potuiſſet, ſi noſſet, quod deinceps acutiſſimorum ingeniorum MALPIGHII præſertim & GREWI induſtria detexit, in plantis dari venas atque arterias, ordinatum celebrari humorum circuitum, adeſſe partes pulmonum actionem imitantes, ſi cognoviſſet organa procreationis gratia ipſis conceſſa, ſi noſſet teneros illarum amores. (*d*)

Harum rerum attenta contemplatio ita me exclamare jubet:

O quanta in teneris regnant miracula plantis!
Corporibus ſanis dant alimenta ſua.

Phar-

(*c*) Vid. *Grammondus* hiſt. Gall. lib. III.

(*d*) Quos amores docte & eleganter expoſitos reperies in Cel. *Vaillantii* diſſ. de florum ſtructura, Cl. *Pontederæ* Anthologia & doctiſſimi *Royeni*, Botanices Profeſſoris Lugduno Batavi, carmine ſuaviſſimo *de amoribus & conubiis plantarum* contexto.

Pharmaca ſunt ægris, ſunt mentis gaudia noſtræ,
Et tacitæ monſtrant cuilibet, eſſe Deum.

SECTIO XII.

I. VEneres, & delicias plantarum nunc perſpeximus. Perſpecta quoque eſt præſtantiſſima corporis humani conſtructio, Medicus autem nihil prætermittit, quod ad perfectam harum rerum cognitionem pertinet. Inprimis vero earundem *originem*, & *procreationem ſumma mentis attentione obſervat*; id agens, primo ſtatim obtutu animadvertit, oriri toto die res, quæ antea in hoc rerum univerſo non extiterunt. Novit quidem plantas, homines & animalia, quæ hodie proveniunt, ortum ſuis debere parentibus, & recordatur, hos etiam ab aliis procreatos fuiſſe. *Ultimo ex ortu & generatione hominis animalium & plantarum.*

II. Dum vero hæ in mente volvuntur cogitationes, duplex ſeſe animo repræſentat ſententia; nimirum *aut datur progreſſus in infinitum*, *aut entia iſta eſſe aliquando cœperunt*. Si modo leviori mentis acumine pollet, prius dogma abſonum plane, & abſurdum ideoque rejiciendum eſſe, ſtatim perſpiciet. Amplectetur ergo poſterius, & ſtatuet, *entia iſta aliquando eſſe cœperunt*. Ex quo per pronam fluit conſequentiam, fuiſſe aliquando tempus, quo v. c. genus humanum non extitit, ergo non fuit ab æterno, ergo

datur primus aliquis homo; hic ſe ipſum producere non potuit; fuiſſet enim antequam eſſet. Neque cognitio fabricæ ejus artificioſiſſimæ (optime Medicis notæ) concedit, ut credamus, *illum caſu & fortuito conflatum eſſe*; ergo productus eſt ab alio, & quidem ab Ente intelligente, ſapientiſſimo, potentiſſimo, quod ante hominem fuit, hoc eſt, a *Deo* productus eſt. Qua contemplatione profecto nihil evidentius docet, exiſtere DEUM.

III. Interim hæc via proveniendi ad exiſtentiæ Dei cognitionem omnibus quidem ad res in orbe terrarum contingentes attentis patet, maxime tamen, niſi me omnia fallunt, Medicis; quippe qui ad ea perpendenda, & penitus ſcrutanda ſingulis fere momentis ſuo vitæ inſtituto admonentur, dum alii aliis negotiis occupati, hæc minus curant, imo ſæpe ne quidem de iis unquam cogitant.

SECTIO XIII.

Impoſſibile ergo eſt MEDICINAM *ad atheiſmum ſeducere.*

I. HActenus igitur a nobis oſtenſum eſt, in quibusnam rebus contemplandis, inveſtigandis, perſcrutandis, omne tempus terere Medicina ſuos filios jubeat. Vidimus, eas ita eſſe comparatas, ut argumenta maximi ponderis ad exiſtentiam ac ſapientiam Dei cognoſcendam confirmandamque ſuppeditent. Quis igitur non perſpicit injuſtam cavillationem, imo calumniam, qua ars ſalutaris af-

ficitur

ficitur, quaſi ad atheiſmum ſeduceret, fœtum eſſe vel ægrotantis ingenii, vel animi impudentiſſimi, & deteſtanda malitia corrupti? Quemadmodum enim eadem dogmata dari ſupremum Numen evidentiſſime docere, ſimul verò ad idem abnuendum arma præbere queunt? Præſtantiſſimus GORISIUS certo, & recte quidem ſibi perſuaſum habuit, (*a*) *quod nemo mortalium magis Medicis de exiſtentia Dei convictus eſſe queat, nec ſuis doctrinæ principiis longius ab atheiſmo diſtet; quodque naturæ indagator atque in minimis quoque Numinis inventor Medicus jugiter tam in macrocoſmi, quam microcoſmi examine in divini architecti ſummam admirationem rapitur, ſibi probe compertum habeat, quod Jovis omnia plena, miraculis cuncta referta ſint. In medicinæ ſubjecto homine enim conſpicitur Dei ſculptura, uti in numiſmate Cæſaris charagma, neque minus in materia medica præſentem monſtrat quælibet herba Deum.*

II. Fortaſſis unus vel alter ex Medicis ad fovendum atheiſmi virus vel alios in religione errores peſſime ſeductus fuit, licetne propterea concludere, quod Medicina huic impietati feneſtram aperiat? An dicendum ergo eſt in proverbio. *Ubi tres Medici, duo athæi?* Quoties ex ipſa Theologia, ex ipſis ſacris bibliis impii rerum divinarum contemtores opinionibus maxime execrabilibus, & deteſtandis album adjicere calculum allaborarunt.

 Quis

(*a*) In Medicina contemta p. 99.

Quis vero eo progredietur audaciæ, ut affirmet ſtudium Theologiæ, lectionem ſacrorum bibliorum ad hos ſeduxiſſe errores? Quoties Jurisprudentiâ ad injuſtiſſima facinora impune perpetranda ſcientiæ hujus periti abutuntur, quis vero hanc ob cauſam exclamandum eſſe credet: *ubi tres Jureconſulti, duo ſunt impoſtores?* Et quando etiam aliquando Medicus quidam in rebus ſacris erravit, cum errare humanum ſit, erravit non propterea, quod Medicus, ſed quod homo fuit; quemadmodum multi Theologi, Icti & Philoſophi quoque errarunt; ſic ut Medicina non ſit in culpa, ſed aliæ ſubſint cauſæ ejusmodi erroris.

SECTIO XIV.

Nonnulli Medici atheiſmi ſuſpecti ſpeciatim defenduntur.

I. NOn dubito ex brevi hac pertractatione ſagaciores perſpecturos fore, in Medicos cordatiores & prudentiores vix atheiſmi ſuſpicionem cadere poſſe. Ut vero eo luculentius appareat, quam injuſte hæc criminatio principibus quibuſdam in arte noſtra viris inflicta fuerit & quam vanæ ſint adverſariorum objectiones, nonnullos ex iis ſpeciatim defendendos excuſandosque nobis propoſuimus. Ducat agmen Hippocrates.

Apologia Hippocratis.

II. Stator & parens Medicinæ HIPPOCRATES ob vitæ integritatem, pietatemque erga Deum atque homines per multa ſecula ad noſtram uſque ætatem in omnium magnorum Medicorum admiratione fuit, & *divus* propterea ſæpe & a quam plurimis appellatus

pellatus eſt : imo illius virtutem præſtantisſimasque de rebus ſacris ſententias tanti fecerunt etiam alii eruditi, ut poſt *Joh.* STEPHANUM *Bellunenſem*, Cel. *Joh. Andr.* SCHMIDIUS, æternum Juliæ noſtræ decus, ejus Theologiam ſyſtematice deſcripſerit. Tandem vero Cel. GUNDLINGIUS, Philoſophus & Jureconſultus Hallenſis, ſtudio per paradoxa inclareſcendi ductus, in ſcenam prodiit, & optimum ſenem atheiſmi macula infamare conatus eſt: in ita dictis *otiis* ſuis Halæ 1706. editis. P. II. c. III. (*a*)

III. Si ſcripta ejus perluſtramus, ſæpiſſime Dei mentionem cum ſignis ſummæ pietatis eſſe factam ibidem reperimus. Illud ipſum profiteri coactus fuit GUNDLINGIUS l. c. §. XI. *Nolo ire inficias*, inquit, HIPPOCRATEM *dixiſſe eſſe Deum vel Deos.* Opinatur vero, vel potius ſeſe opinari fingit, quicquid de Deo effatus eſt, ita comparatum eſſe, ut exinde appareat, illum verbis quidem affirmaſſe ſummum Numen, re autem prorſus ſuſtu-

(*a*) Quantopere viris præſtantiſſimis, & in rebus maxime dubiis & ancipitibus enodandis exercitatiſſimis hæc GUNDLINGII accuſatio diſplicuerit, edocemur Reverendo Jo. Franc. BUDDEO, Philoſopho & Theologo Jenenſi, qui ſcribit: HIPPOCRATI *ſine ſufficiente ratione atheiſmum a Cl. Viro fuiſſe objectum.* Vid. tract. ejus de atheiſmo anno 1722. edit. Cap. I. §. 20. Cum BUDDEO eandem criminationem rejecit doctiſſimus Jo. Alb. FABRICIUS, Hamburgenſium Profeſſor Celeberrimus, quando argumenta GUNDLINGII *minime certa atque evidentia*, *qualia in tam gravi criminatione deſiderentur*, pronunciat. Bibl. Græca L. II. c. XXIV. p. 843.

ſuſtuliſſe, ſiquidem ita pergit: *Sed qualis eſt ille Deus, aut eſt* τὸ θερμὸν *ſeu calidum, aut natura, quæ ipſi* συνονύμως *ſumuntur, aut Dii ex calido illo ortum ducentes, æque ac apud HESIODUM ex mari.*

IV. Attributa vero, quæ magnus HIPPOCRATES Deo adſcripſit, illud plane falſum eſſe oſtendunt. Appellat enim eum modo *juſtiſſimum*, modo *ſapientiſſimum*, ſtatuit, illum ſumma gaudere potentia, eſſe *omniſcium*, illum regere & moderari orbem terrarum, quod ſane nemini, niſi vero Deo convenit, & tribui a ſapiente poteſt. SCHMIDIUS noſter antea laudatus in *Theologia Hippocratis* & doctiſſimus TRILLERUS in *Hippocrate falſo atheiſmi accuſato*, atque alii ex innumeris locis illud demonſtrarunt. Brevibus igitur nos idem ex ejus *jurejurando* propemodum Chriſtiano a reliquis defenſoribus fere neglecto ulterius adhuc ſumus commonſtraturi.

V. Sapientiores Ethnicorum, dum jurarent, ſemper Deos teſtes adhibuerunt: patet hoc ex ARISTOTELIS lib. rhetor. ad *Alexandrum* c. 18. ubi ſequentem jurisjurandi definitionem tradit: ὅρκον εἶναι μετὰ θείας παρακλήψεως φάσιν ἀναπόδεικτον, *jusjurandum eſſe cum veneratione divina aſſertionem, quæ demonſtratione non indigeat.* CICERO lib. III. officiorum illud ita deſcribit, quod jusjurandum ſit *affirmatio religioſa Deo adhibito teſte.* SIMPLICIUS comment in *Epicteti Enchirid.* c. 44. ait, jurejurando aliquid denotare,

nihil

nihil aliud denotare, quam *μαρτυρα τον Θεον καλειν, ϗ μεσιλην αυτον, ϗ ἐγγυντην ἐφ᾽ οἱς λεγει, προιχεσθαι*, *Deum citare teſtem & ſequeſtrum ac ſponſorem facere eorum, quæ dicuntur.*

VI. HIPPOCRATES jurejurando ſuo ad res maximi momenti præſtandas ſemetipſum, diſcipulos imo omnes Medicos obſtricturus, jurat etiam, & jurare monet per Deos, & illos advocat teſtes, 1) *Ὄμνυμι Ἀπολλωνα ἰητρον ϗ Ἀσκληπιον, ϗ ὑγειαν, ϗ πανακειαν, ϗ θεους παντας, ϗ πασας, ἱστορας ποιευμενος* &c. *Per Apollinem Medicum, & Aeſculapium, Hygeiamque Panaceam, & Deos Deasque omnes jurejurando affirmo, eos in teſtimonium citans.* Quem quæſo in finem Deos advocaſſet, ſi nullos omnino dari crediſſet? Ait GUNDLINGIUS HIPPOCRATEM ex conſuetudine & more majorum juraſſe, ideoque Deos, non quod aliquos eſſe ſtatueret, ſed ut fucum imperitis venderet (pour eblouir le peuple) teſtes adhibuiſſe, ſed quam vana hæc eſt in re adeo gravi conjectura, & quam indigna GUNDLINGIO alias acutiſſimo, ubi non conjecturis, ſed demonſtrationibus agendum, uti ipſi Jureconſulti deſiderant. Nonne eadem ipſi objectari queunt? Nonne pari ratione aliquis adverſariorum ſuorum accuſare eum poſſet, quæcunque ſcripſerit, ſcripſiſſe *pour eblouir le peuple*, i. e. ad decipiendos homines, ad fucum iis vendendum. Si quis de ejus HIPPOCRATE Atheo hoc feret judicium, fortaſſis a veritatis tramite haud aberrabit. Totum enim ſcriptum illud, niſi me

omnia fallunt, magis mihi exaratum videtur ad oſtentandum ingenii acumen, quam ad veritatem eruendam.

VII. Non opus eſt, ut tempus teramus copioſa hujus calumniæ refutatione, integritas & pietas Hippocratica toties ac tamdiu honeſtis, doctis atque piis probata & teſtata radicitus illam fere ſolam evertet. Objicit deinde, *per multos* COUM *juraſſe Deos*. A *Polytheiſmo* eum liberare non eſt hujus inſtituti; quum illud vix a gentilibus aliter deſiderari poſſit; ſufficit ab atheiſmo eum vindicaſſe. *Joh. Henr.* MEIBOMIUS noſter in eruditiſſimo ad hoc jusjurandum commentario. cap. III contra hæc tela jam tum præviſa egregie ſuum munivit *Hippocratem*. HIPPOCRATES, ait, *vir animi quidem devoti & Numinis, quod eſſe noverat, colentiſſimus, quia tamen, quodnam id eſſet, ignorabat, pro ævi ſuperſtitione per Deos, quos plurimos gentilitas agnoſcebat, & novos ſibi ſubinde fingebat,* ὁρκον *ſuum cætera ſanctiſſimum concepit, conſcripſitque.*

VIII. 2) Arbitros eos conſtituit actionum. Ὀμνυμι Ἀπολλωνα &c. ἐπιτελεα ποιησειν κατα δυναμιν ϗ κρισιν ἐμνην ὁρκον τονδε ϗ ξυνγραφην τηνδε ἡγησασθαι μεν τον διδαξαντα με την τεχνην ταυτην ἰσα γενετησιν ἐμοισιν &c. *Juro per Apollinem &c. me quantum judicio & viribus valuero, jusjurandum hoc plene obſervaturum. Præceptorem, qui me hanc artem docuit, parentum loco habiturum.* &c. Quemadmodum hoc facere potuiſſet, niſi fuiſſet perſuaſus, illos præ-

eſſe

eſſe orbi terrarum, habere rerum humanarum procurationem, dirigere & gubernare mortalium actiones?

IX. 3.) *Illos conſtituit arbitros actionum, quæ maxime in occulto ab hominibus geri ſueverunt.* Ου δωσω δε ουδε φαρμακον ουδενι αιτηθεις θανασιμον, ουδε υφηγησομαι ξυμβουλιην τοιηνδε. Ομοιως δε ουδε γυναικι πεσσον φθοριον δωσω. *Neque precibus adductus cuiquam medicamentum mortiferum propinabo; neque ejus rei auctor ero. Pariter neque mulieri peſſum* (ſive medicamentum) *ad fœtus corruptionem* (ſive expulſionem) *dabo.* Harum rerum arbiter non tantum intellectu, humana mentis acie longe excellentiori inſtructus eſſe debet, ſed oportet, illum perſpicaciam omnia penetrantem poſſidere, & eſſe Deum, qualem PLAUTUS (*b*) deſcribit, *Qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.* Ecce HIPPOCRATIS Deum *omniſcium.*

X. 4.) Veteres jurejurando finem impoſituri *votis ac precibus a Diis in teſtimonium citatis* efflagitare ſolebant, quid ſibi fieri vellent, ſi jusjurandum religioſe obſervarent, vel impie transgrederentur. Uti hoc perſpicere licet in DEMOSTHENIS Orat. adv. Timarch. ubi inquit: Επαρωμαι ἐνορκουντι μεν ποιειν τ᾽ἀγαθα τους θεους, *recte juranti ut Dii bona multa faciant exopto.* POLYBIUS lib. III. ἐυορκουντι μεν ποιειν τ᾽ἀγαθα τους θεους, *ſancte juranti Dii benefaciant.* VALENS VETTIUS, Antiochenus

(*b*) Captiv. Act. II. ſc. 2. v. 63.

chenus, Antholog. lib. IV. καὶ ταυτα μεν διαφυλασσουσιν, ὁι προειρημενοι θεοι παντες ἐυμενεις ἐσονται, καὶ βιος ἐυπαθης, και κατα θυμιος λογισμων συντελεια. *Hæc ſervantibus Dii ante nominati benevoli erunt, & vita commoda ac conſiliorum ex animi ſententia conſummatio.* Eadem dum jusjurandum finiret, HIPPOCRATES exoptabat. Ὀρκον ὀυν μοι τονδε ἐπιτελεα ποιεοντι και μη ξυνχεοντι ἐιη ἐπαυρασθαι και βιον και τεχνης δοξαζομενω παρα πασιν ἀνθρωποις ἐις τον ἀει χρονον· παραβαινοντι δε και ἐπεορκουντι τ᾽ἀναντια τοιουτεων. *Hoc igitur jusjurandum ſi religioſe obſervem, nec violem, proſpero ſucceſſu tam in arte, quam vita mea fruar, & gloriam immortalem ubivis gentium conſequar. Quod ſi idem transgrediar & pejerem, iſtis contraria mihi obveniant.* (*c*) Quis hic non videt, HIPPOCRATEM adſcripſiſſe Diis ineffabilem *benignitatem*, quum ſi ſacramentum religioſe obſervaret, tot bona, tantamque felicitatem ab iis ſibi promittit? Quis non videt, illum cum benignitate ſeveriſſimam in iisdem conjunxiſſe *juſtitiam*, & illos ſtatuiſſe acerrimos *ſcelerum vindices*, dum ipſi pejeranti nil, niſi calamitates, infortunia, miſerias exſpectandas eſſe credit? XI.

(*c*) Talia a Diis expetiiſſe *Hippocratem*, licet hic nullum denuo Deum nominaverit, certo mihi perſuaſum eſt. Primo enim res hic expetuntur, quæ in nullius, niſi in ſuperorum ſunt poteſtate. Deinde quum ſub initio eos advocaſſet, non opus fuit iterum illorum nomina repetere. Denique mos erat & conſuetudo recepta apud Græcos, ut paulo ante oſtendimus, in fine jurisjurandi talia a Diis exoptandi.

XI. Hactenus HIPPOCRATIS jusjurandum ſui auctoris innocentiam vindicavit; ſed brevibus adhuc aliis Gundlingii objectionibus nunc obviam eamus. Vel duo loca a doctiſſimo annotata TRILLERO (*d*) ad has enervandas & explodendas ſufficiunt. Toto, quod contra HIPPOCRATEM compilaverat, ſcripto, illud unice adſtruere operam navat, HIPPOCRATEM *nullum a natura ſive mechaniſmo hujus univerſi diſtinctum ſtatuiſſe Deum*, itaque ſupremum omnino ſuſtuliſſe Numen ex hoc fundamento infert, imo in defenſione contra GOELIKIUM (*e*) in hæc verba erumpit: *Si quis vel unum oſtenderit locum, in quo Deus clare appellatur, ſeparata hujus naturæ cauſa, aut ut edocta ab illo deſcribatur, aut informata, directa, tum vero me retracturum, quod ſcripſi, facturumque eidem quam hodiernis Medicis Philoſophisque gratiam, ſpondeo.*

XII. Libro primo de diæta exſtat locus, ubi HIPPOCRATES memorat, φυσιν παντες θεοι διεκοσμησαν, *naturam omnes Dii conſtituere*, compoſuerunt, gubernarunt, ſicut illud recte TRILLERUS interpretatus eſt. Deinde evolvas epiſtolam HIPPOCRATIS ad *Abderitas*. Hic inquit, Ἐγω νυν φυσει και θεοις ὑπακουων σπευδω. Naturæ & Diis auſcultans feſtino. Unicum tantum deſideravit GUNDLINGIUS

(*d*) In libello contra *Gundlingium* ſupra citato.

(*e*) Qui etiam Orationem, qua *Hippocrates* ab atheiſmi crimine, a *Gundlingio* ipſi imputato, vindicatur. 4. Halæ. 1713. edidit.

GIUS locum, in quo COUS de Deo & natura tanquam rebus ſeparatis, atque diſtinctis ſermonem fecerit; ecce adſunt plura. Retrahat ergo, quæ ſcripſit, convictus eſt commenti & calumniæ liberatusque ab atheiſmi crimine triumphat HIPPOCRATES.

SECTIO XV.

Apologia Galeni. I. NOnnulli etiam ad hunc ſtultitiæ atque impudentiæ gradum pervenerunt, ut eodem convicio magnum quoque verberare GALENUM non dubitaverint. Cel. MORHOFFIUS memorat *in* GALENO *quoque aliquos ἀθεοτητα notaſſe T. I. l.* 1. *c. VIII. Polyhiſt.* (*a*) Quam niſi ab hoc crimine abſolvemus,

(*a*) Referunt idem præter Morhoffium Iſaac. *Caſaubonus* epiſt. 258. *Reimannus* l. c. & alii. Quinam autem hi calumniatores fuerint, quod mirum, non indicant, adeoque me latent, multo minus illorum fundamenta novi, ad hanc criminationem propugnandam adhibita. Interim eos ſat confutatos fore arbitror, ſi ex ipſis *Galeni* ſcriptis commonſtravero, illum tantopere ab atheiſmo fuiſſe remotum, ut ad eundem debellandum miro ingenii acumine & perſpicacia diſputaverit. *Gundlingius* quidem affirmat, Caſp. Hoffmannum pro atheo habuiſſe *Galenum* in Gundlingianis P. 22. p. p. Ubi autem id fecerit, non conſtat, fidem ergo huic *Gundlingii* aſſertioni non ſtatim adjungemus, cum ſæpe, quicquid in buccam venit, & dixit & ſcripſit, inprimis cum *Hoffmannus* variis in locis de *Galeno* longa alia, imo huic plane contraria tulerit judicia. vid. *Commentarii in Galeni libros de uſu partium*, Francof. 1625. impreſſi Prolegomena p. 2. ubi aſſeverat *Hoffmannus*, ex creaturis Galenum per-

mus, neſcio, quis demum abſolvendus erit. Ingenii monumenta ab ipſo relicta oſtendunt, quod ab atheiſmi crimine prorſus fuerit alienus, imo patefaciunt illum in cognitione æterni Numinis eouſque fere perveniſſe, quouſque humani intellectus limites pervenire concedunt. Quavis data occaſione *Conditoris ſui potentiam extollit, ſapientiam admiratur, benignitatem prædicat, atque omnes, ut idem faciant, exhortari & perſuadere ſumopere nititur.*

II. Perluſtres modo libros, quibus partium corporis humani expoſuit uſum. Hos ſane ita exaratos comprehendes, ut anceps fere hæſeris, utrum ab Ethnico an Chriſtiano, utrum potius in Theoſophorum an Medicorum gratiam conſcripti fuerint; & hanc ob cauſam ipſemet eosdem non ſolum Medicis, ſed inprimis etiam ſapientibus commendat, in vera & accurata Entis perfectiſſimi cognitione acquirenda ſolerter animi vires exercitantibus: Και το δοκουν ἀυlο σμιρκον ἐιναι περιlερον, ἡ περι χρειας μωριων πραγματεια θεολογιας ἀκριβους ἀληθως ἀρχη καταςησεlαι, πολυ μειζονος τε και πολυ τιμιωlερου πραγματος ὁλης ἰαlρικης· ὀυκ ὀυν ἰατρῳ μονον ἡ περι χρειας μωριων ἐςι πραγματεια χρησιμη, πολυ δη μαλλον ἰατρῳ φιλοσοφῳ, και ὁλης φυσιος ἐπιςημην κτησασθαι σπευδυντι. *Opus*, inquiens, *de uſu partium, quod prius exiguum ſibi eſſe vi-*

perſpexiſſe Creatorem & lib. XI. c. 14. p. 261. docet, quod ejus providentiam docte agnoverit, quemadmodum etiam Celeber. obſervavit *Reimannus.*

videbatur, perfectiſſimæ Theologiæ principium & fundamentum vere conſtituet, quæ Theologia multo major atque præſtantior eſt tota Medicina. Non igitur Medico tantum opus de uſu partium proficuum eſt, ſed multo certe magis Medico Philoſopho, & illi, qui totius naturæ ſcientiam ſibi comparare ſtudeat. Vid. de uſu partium Lib. XVII. c. 1. (*a*) Ex hiſce verbis ſimul intelligimus, quanti is fecerit Theologiam, & quanta reverentia ſermonem de rebus divinis inſtituere ſolitus fuerit.

III. Sed majori adhuc oſtendemus perſpicuitate, quid de præſtantiſſimi viri religione & pietate ſentiendum ſit, & optime noſtrum exequemur propoſitum, ſi iis, qui credunt, GALENUM de ſummo Numine ejusdemque cultu impias foviſſe opinationes, ſequentia opponamus effata; niſi eos pertinacia plane irrationalis in errore perſeverare jubeat, nullus dubito, quin ad meliores reverſuri ſint mentes.

IV. Ἀλλα γαρ ἰσως ἐι ἐπι πλεον τοιουτων μνημονεσιμι βοσκηματων, ὁι σωφρονουντες ὀρθως ἀν μοι μεμφοιντο καὶ μιαινειν φαιεν ἱερον λογον, ὃν ἐγω του δημιουργησαντος ἡμας ὑμνον ἀληθινον συντιθημι· και νομιζω τουτ᾽ ἐιναι την ὀντως ἐυσεβειαν, ὀυχι ἐι ταυρων ἑκατομβας ἀυτῳ παμπολλους καταθυσαιμι,

(*a*) Th. Browne idem agnovit, quando affirmat: *There appears to me as much divinity in Galen his books de uſu partium, as in Svarez metaphyſicks.* „In Galeni „de uſu partium libris tantum rerum divinarum ſcientiæ „mihi latere videtur, quantum vix *in Suarezii* metaphyſicis. Lib. de relig. Medici. P. I. ſect. 4.

μι, και τα ἀλλα μυρια μυρα θυμιασαιμι και κασσιας, ἀλλ᾽ ει γουν μεν ἀυτον πρωτερος, ἐπειτα δε και τοις ἀλλοις ἐξηγησαιμην, όιος μεν ἐςι την σοφιαν, διος δε την δυναμιν, ὁποιος δε την χρηςοτητα. το μεν γαρ ἐθελειν κοσμειν ἀπαντα τον ἐνδεχομενον κοσμον, και μηδενι φθονειν των ἀγαθων, της τελειοτα της χρηςοτητος, ἐγω δειγμα τιθεμαι ταυτημεν, ὡς ἀγαθος ὑμιν ὑμνειοθω το δ᾽ ὡς αν μαλιςα κοσμηθειη, παν ἐξευρειν, ἀρκας σοφιας το δε και ὁρασαι παν θ᾽ ὁσα ποειλετο, δυναμεως ἀηττητον. *Si longius ſtultum, & agreſte hoc hominum genus increparem, fortaſſis viri ſapientes, nec injuria, me reprehenderent, quod ſacram hanc orationem, quam ut verum hymnum in ejus, a quo conditi ſumus, laudes compono, contaminarem. Equidem veram germanamque adverſus Deum pietatem non arbitror in eo conſiſtere, ut taurorum hecatombas ipſi cædam, ſed ut primum ipſemet cognoſcam, deinde vero aliis, quanta ſit ejus ſapientia, quanta benignitas, aperiam. Quod enim mundum hunc iſto modo comparaverit, nec cuiquam aliquid invideat ex bonis, quæ continet, id ego maximæ benignitatis ſignum ac documentum eſſe arbitror. Quare canere nos eum, ut bonum & benignum decet. Quod autem, quemadmodum omnia aptiſſimo modo coagmentari & adornari potuerint, invenire valuerit, id ſignum maximæ in eo ſapientiæ agnoſco. Ad extremum quod univerſa, quæ decrevit, & conſtituit, perficere quoque ipſi facile fuit, id infinitam arguit potentiam.* Lib. III. c. X. de uſu partium.

V. O GALENE, obſtupeſcimus profecto do-

documentis, quibus Ethnicis obvolutus tenebris, profundiſſimam Conditoris cognitionem expoſuiſti! Deum exiſtere declaras, *illumque nuncupas benigniſſimum, & rationes, cur id facias, aperis; collaudas ejus ſapientiam*, viamque tradis, qua ad hujus perveniendum ſit notitiam. *Creatorem prædicas potentiſſimum* & affers diſtinctiſſima hujus potentiæ infinitæ criteria. Religio & cultus tuus huic ſuperſtructus deprehenditur cognitione; vacuus temeritate, ſincerus eſt, & non niſi vero convenit Numini. Quis quæſo, tam contumax, tam perfrictæ frontis erit, quem hæc tua effata non commovebunt, & ad vitæ ſanctimoniam excitabunt. Ruborem, oportet, incutient magnæ cohorti eorum, qui Chriſtianorum titulo indigni, eo tamen ſeſe condecorare non verentur. Pudore confundent potiſſimum illos, qui nomen viri tanta ſapientia, pietate atque honeſtate conſpicui temere obſcurare & improbe lacerare tentarunt. Accedant hi flagitioſi bonæ famæ corruptores, intendant omnes ingenii vires, nullus certe eorum, quemadmodum ego arbitror, de Deo illumque adorandi ratione ſapientius cogitare vel gravius eloqui poterit.

VI. Hæc ſufficerent ad propugnandam *Pergameni* pietatem, & ſubſiſtere hic poſſem; ſed ut radicitus ex hominum animis evellatur prava de optimo viro ſententia, oſtendemus, tantum abfuiſſe, ut eorum erroribus favuerit, qui omnia abſque conſilio & mente divina condita eſſe putant, ut potius contra ipſorum dementiam

mentiam ſtrenue diſputaverit, & eandem irriſione dignam ſibiloque explodendam eſſe ſtatuerit.

VII. Ὥσπερ οὖν ἐπι ἀνθρωπειων παθῶν ποιουμεθα τας κρισεις, ὁυτω χρη, καπι τῶν θειων ποιεισθαι, και θαυμαζειν τον του σωματος ἡμῶν δημιουργον, ὁςις ποτε ἐςι θεων· ἐι δ᾽ ἐκ τον μη βλεπειν ἀυτον, ὀυδ᾽ ἐιναι φησομεν, ὀυ φυλαξομεν ἐτι την ὁμοιοτητα της προς τας τεχνας κρισεως ἐφ ὧν ὀυκ ἐν τῳ θεασθαι την συμπηξασαν (*a*) την ναυν, ἡ τον σκιμποδα, την κρισιν της τεχνης ἐποιουμεθα, παραλιποντες σκοπεισθαι την χρειαν ἑκαςον των μοριων, ἀλλ᾽ ἐν τουτῳ το κυρος ἀυτης ἐθεμεθα. γελοιον γαρ ἐι τις ἐν τῳ θεασασθαι τον κατασκευαζοντα τουτων τι, τεχνιτην ἐιναι νομιζοι, και ἐι ἐνια των μερων ἐυρισκοι κακως κατασκευασμενα. γελοιον τε καν ἀριςα κατασκευασμενης της νεως, ἡ της οικειας, ἡ της κλινης, ἀγνωςου δε ὀντος του κατασκευασοντος, νομιζειν ἀνευ της τεχνης γεγονεναι τα τοιαυτα, ἡ κατα τυχην διακρινοντων ἁπαντων, και την μεν σπανιακις ἁμαρτανειν του σκοπου, την δε ἐπιτυγχανειν ὀλιγακις· ἀχρειον δε και μη τεχνικην ἡγεισθαι την της του σωματος ἡμων κατασκευης ἀιτιαν ἐιναι. *Quemadmodum de rebus humanis ſic etiam de divinis judicare debemus, ac corporis noſtri Conditorem, qualiſcunque ille Deus fuerit, admirari. Quod ſi propterea qui ipſum non videmus, non eſſe dicamus, ſimilitudinem judicii in artibus minime ſervabimus: ubi non penes viſio-*

nem

(*a*) την συμπηξασαν, ita legitur in græca mea editione *Galeni*, ſed ſenſus & totius nexus ſermonis requirere mihi videtur, ut legamus τον συμπηξαντα.

nem ejus, qui exſtruxiſſet navim, vel lectum, judicium artis ferebamus, præter miſſa utilitatis ſingularum partium conſideratione: ſed in hac vel præcipuam vim artis ineſſe ſtatuebamus. Quemadmodum enim ridiculum eſt, ſi quis eo, quod videat aliquem quippiam fabricantem, idcirco artificium exiſtimet, etiam ſi partes aliquas male fabricatas eſſe deprehenderit: ſic deridendus etiam merito eſſes, ſi, cum navim, vel domum, vel lecticam optime conſtitutam conſpexeris, illum vero, qui ea condiderit, ignorares, crederes hæc omnia abſque arte, ſed caſu & fortuna producta fuiſſe, atque hanc (ſc. fortunam) raro fine ſuo fruſtrari, illam (ſc. artem) eundem aſſequi vix unquam; quocirca etiam abſurdum plane eſt, ſtatuere fabricam corporis noſtri ſine conſilio & arte conflatam fuiſſe. (a)

VIII. Hactenus GALENUS ſibimet ipſi ultor innocentiæ & propugnator fuit. Præterea autem viros reperimus præſtantiſſimos magnis cum encomiis illius pietatem atque religionem efferentes. Defendatur ergo etiam nonnullorum judiciis atque auctoritatibus. *Iſaac.* CASAUBONUS epiſt. 258. *miratur Galenum vocari atheum, virum tam aſſiduum in ſapientia Dei prædicanda,* (& pergit) *ego illum eo maxime nomine dignum laude & æterna prædicatione ſemper judicavi.* Eadem verba repetiit Cel. MORHOFF. & ſuo approbavit calculo in Polyhiſtore. Perſpicaciſſimus Anglo-

(a) De Hippocratis & Platonis dogmatibus Lib. IX.

glorum Theologus & Philoſophus CUD-WORTHIUS magna cum Galeni laude affirmat: *Dudum eſt, quod Galenus, nobiliſſimus Philoſophus & Medicus, idemque a Chriſto disjunctus, lib. de uſu partium, quanta ſit eorum turpitudo ac deformitas, dedita opera demonſtravit, qui abſque conſilio & mente univerſum, & præcipue animantium corpora conſtructa eſſe putant.* In ſyſtem. intellectual. vid. edit. latina a ſumme venerabili MOSHEMIO edita. p. 812. Pereximius Germanorum Medicorum decus SCHELHAMMERUS, perpendens *Galeni* effatum ſupra jam tum ex *Galeni* de uſu partium lib. III. c. X. adductum, non potuit non in ſequentia verba prorumpere: *O dignam Chriſtiano Ethnici pietatem, ô infelicem vel me, vel quicunque hæc legerit, ſi non concinet huic incomparabili viro, divinam in natura legem, ſapientiæ atque omnipotentiæ ejus teſtem luculentum agnoſcat, & veſtigia ejus manifeſta pie veneretur.* (*a*)

IX. Vos ergo impii cavillatores, qui magno GALENO deteſtandam atheiſmi labem adſpergere tentaſtis, rationibus & auctoritatibus victi & confutati, erubeſcentes contrahite vela, & impoſterum ab ejuſmodi deſiſtite conviciis.

X. Ab his, qui in mitiorem partem de GALENI religione ſentiunt, pro aperto quidem atheo non declaratur, perhibent tamen, illum animæ immortalitatem negaſſe, id, quod huic

(*a*) Vid. Lib. de natura p. 106.

impietati proximum putatur. Cujus erroris inſimulatus eſt ab Auctore annotationum latinarum in BROWNII lib. de relig. Med. notis ad ſect. 20. P. I.

XI. Doctrina de animæ natura & conſtitutione in hunc uſque diem ſubtiliſſimis ingeniis miras parit difficultates. Juxta SANCHEZ (tractatu, quod nihil ſciatur p. 103.) *difficillima perplexitatis plena animæ ejus facultatum, actionumque conſideratio eſt, ſi quæ alia.* (*a*) Nullus ergo mirari debet, ſi in eadem *Galenus* multos invenerit nodos Gordios, ſi ipſi multa non ſatis firma, & evidentia viſa fuerint. Immerito autem ipſi objectari, quod mentem certo crediderit mortalem, ex ſequentibus cognoſcere licet verbis. 'Ουδε μιαν ἑυρισκιον δοξαν ἀποδεδειγμενην, ἐπιςημονικως, ἀπορειν ὁμολογω περι ψυχης ὀυσιας, & paulo poſt, ὀυτε γαρ ἐι παντα πασιν ἀσωματος, ὀυτ' ἐι σωματικη, τις ἐςιν, ὀυτ' ἐι τελεως ἀιδιος ὀυτ' ἐι φθαρτη, γραμμικαις ἀποδειξεσιν ἑυρον τινα κεχρημενον. *Dubitare me de animæ ſubſtantia confiteor, cum nullum de eadem dogma ſive præceptum ſolide demonſtratum inveniam.* (& paulo poſt) : *Neque enim*

(*a*) Illud nuper adhuc prolixe perſecutus eſt doctiſſimus HOLLMANNUS, olim Vitebergenſis nunc Goettingenſis Profeſſor Philoſophiæ celeberrimus, variis in diſſertationibus *de ſtupendo naturæ miſterio, anima humana, ſibi ipſi ignota*, habitis. Ultimæ harum diſſertationum adjecit poëma elegantiſſimum, ingenioſiſſimi Batavorum Poëtæ JAC. CATII, in quo anima cum corpore de ſua natura colloquitur & libere profitetur, *ſe illam ignorare*, adeoque ſe ſibimet ipſi ignotam eſſe.

enim hactenus reperi ullum , qui mathematicis demonſtrationibus uteretur , ad adſtruendum , num omnino incorporea ſit anima, aut corporea aut prorſus ſempiterna, aut corruptibilis & interitura.

XI. Ingenue hic confitetur, *ſe ignorare quænam mentis ſit natura*, utrum ex materia conſtet, vel an vacua corpore exiſtat, utrum mortuo corpore ſuperſtes ſit futura , vel an cum hoc etiam eſſe deſinat. Neutrum tamen harum rerum negat , neutrum affirmat , ſed ſuum, quod genuinos veri ſcrutatores in rebus dubiis atque arduis decet, ſuſpendit judicium. Cum vero dubitatio de aliqua re , & ejus negatio toto cœlo inter ſe differant ; palam fit GALENO ſummam inferri injuriam, quando accuſatur , quod animæ immortalitatem tollere omnibus tentaverit conatibus. Illius autem hoc de argumento dubitationem, tanquam ſummum crimen & impietatem, ipſi non eſſe imputandam, ſupra jam tum demonſtratum eſt.

XIII. (3) *Erroneas* , ne quid diſſimulem, *de Chriſto & Moſe fovit opiniones*, quas approbare nullus , vera fide imbutus poterit. (*a*) Hæ autem nil aliud evincunt , quam quod gentilis , a puriori religione alienus , & revelato Dei verbo illuminatus nondum fuerit. Interim neminem dubitaturum fore credo, cognitionem ejus de Deo ex rationis lumine

 hau-

(*a*) Quales hæ fuerint, qui ſcire cupit , lib. de differentiis pulſuum conſulat.

hauſtam & reverentiam erga Numen, quod ille agnoverat, admirabilem prorſus extitiſſe; quippe quod in antecedentibus ſatis comprobatum eſſe arbitror.

SECTIO XVI.

Apologia Cardani. I. HIERONYMUS CARDANUS, Mediolanenſis, in nullo ſcientiarum genere hoſpes, in medicina vero & Philoſophia naturali fuit exercitatiſſimus. NAUDÆUS (*a*) ejus merita tanti fecit, ut illum æque ac SCALIGERUM naturæ miracula appellare haud dubitaverit. Vaſtæ eruditioni, qua pollebat, juncta erat φιλαυτια plane immoderata, effrenata gloriæ cupiditas, actiones in vita communi ſæpe ridiculæ ac ineptiſſimæ, opinationes de variis rebus irriſione pariter ac ſibilo dignæ, quemadmodum ex ſcriptis ejus & vitæ curriculo, a ſe ipſo litteris mandato, ad nauſeam uſque cognoſci poteſt. Cel. MORHOFFIUS ejus characterem exactiſſime ita depinxit: *Fuit Cardani ingenium per dilucida intervalla ſumme ſtultum, ſummeque intelligens.* (*b*) Juxta doctiſſimum PARKERUM, *vir magnus* (*c*) *per intervalla in veram incidebat inſaniam*: idemque indicavit anomalam naturæ indolem, immenſam cogitandi aſſiduitatem, immodi-

(*a*) Apologie pour les grands hommes.
(*b*) Polyh. T. II. L. 1. c. xv. §. III.
(*c*) De Deo & provid. divina diſſ. I. ſect. 25.

modicam gloriæ cupidinem & poſtremo maximam totius vitæ calamitatem fontes & cauſas hujus inſaniæ extitiſſe.

II. Multos habuit adverſarios, qui variis modis & artibus nomen illius obſcurare & infamare operam navarunt. Et inter innumeras fere calumnias in eum eructatas primum fere locum atheiſmi criminatio tenet. *Theoph. Raynaudus illum hominem nullius religionis ac fidei, & inter clancularios ſecundi ordinis atheos principem appellat*, in erotem. de libris bonis & malis p. 27. Ab J. B. *Struvio* de docto atheo pag. 21. & Theoph. *Spicelio* de radice atheiſmi p. 22. *atheiſmi protector* nuncupatur.

III. Ex ipſis vero CARDANI ſcriptis intelligimus, quod ſumma injuria ab inimicis forte hocce affectus ſit convicio. Nam ex iis conſtat, ipſum de exiſtentia ſupremi Numinis penitus fuiſſe convictum, & ſibi firmiter habuiſſe perſuaſum, *Deum omnipotentiſſimum maximum totius rerum naturæ conditorem eſſe atque auctorem*; quemadmodum vel ſequentia hoc edocent verba: *Deus*, inquit, *omnium, quæ in univerſo ſunt, cauſa & origo, fons & principium eſt*. Vid. de rer. ſubtilit. lib. XXI. Aſt non tantum ſcivit, habendum eſſe Deum, ſed etiam cognovit, *qualem habere Deum deceat*; id declaravit enumerando præcipua illius attributa, proſequendo eum cultu devotiſſimo, immortales reddendo grates pro acceptis beneficiis, agnoſcendo humillima mente commiſſos errores & efflagitando ardentiſſimis precibus clementiſſimam eorundem condonationem.

Tu, ait, *altiſſime Deus*, *a quo omnia bona profluunt*, *cujus nutu cuncta moventur*; *cujus imperium nullis nititur limitibus*, *claritas infinita*, *qui ſolus lumen verum præbes*, *totus in ſe ipſo*, *tibi ſoli notus*, *cujus ſapientia omnem excedit cogitationem*, *unus atque incomparabilis*, *extra quem nihil eſt*, *qui me velut terræ vermen in umbra ſcientiæ direxiſti*, *cui*, *quicquid veri hic ſcriptum eſt*, *debeo*; *errores*, *quos ambitio mea*, *temeritasque ac celeritas pepererunt*, *ignoſce mihi*, *mentemque meam illuminando pro tua indefeſſa liberalitate*, *ad meliora dirige. Cum vero tu nullis indigeas*, *nec quicquam addere poſſim*, *quod cœli cœlorumque poteſtates*, *quod materia terraque faciunt*, *univerſæque ipſius mundi partes gratias perpetuas pro immenſis erga me beneficiis ago.* In fine Lib. XXI. de rerum ſubtilitate.

IV. Inficias equidem ire nolo, nonnulla religionis ſuæ (*a*) dogmata interdum dubia ipſi moviſſe, propterea vero neutiquam ad atheiſmum ſtatim & impios errores abreptus eſt. Abhorrebat enim ab omni pruritu de rebus ſacris temere altercandi atque diſceptandi, & ubi de religione quæſtio incideret vel diſputatio, illud ſemper eligi oportere ſtatuebat, quod tutiſſimum eſſet. Sequentem in modum hoc ab ipſo eſt declaratum. *Sciant*, inquit, *omnes*, *me nullibi Theologum agere*, *neque velle in alienam meſſem falcem ponere. Quod vero ad vitæ inſtitutum & religionem attinet*,

(*a*) Erat ille Romanæ eccleſiæ aſſecla.

attinet, ſequi velle, quod tutiſſimum eſt; atque in ea, qua natus ſum lege, hisque ritibus ac ceremoniis, moribusque uti velle, quibus jam per tot ſecula majores noſtri uſi ſunt, nec velle diſcordias ſerere aut os in cœlum ponere, vel plus, quam opus eſt, ſapere. v. de propriis libris tractatus Baſil. 1542. 4. editus. p. 102.

V. Cum ergo hæc & ſexcenta alia loca oſtendant, in neminem minus athei quadrare opprobrium, quam in CARDANUM, adverſarii ejus novas machinati ſunt artes, & alia inceſſerunt via, ut nomen ejus deterrimis conſpurcarent labibus. Siquidem in vulgus ediderunt, quod crediderit & docuerit, *mentes interire cum corporibus*; (*a*) atque, ut ſuæ aſſertioni majorem veritatis ſpeciem conciliarent, finxerunt ſibi, peſſimum ab ipſo conſcriptum eſſe librum, deteſtandum illud principium propugnantem. Atque hoc commentum inprimis *Martinus del Rio* (*b*) divulgavit. Aſt neque hic neque alius, quantum ego quidem ſcio, commemorat, quod librum illum unquam viderit.

VI. Quicquid ergo de eo ſcitur, non niſi per traditiones ab inimicis oriundas ſcitur, quibus autem nullus emunctioris naris fidem facile adjunget, præſertim cum conſtet, quod potius CARDANUS ad impium illud dogma evertendum, peculiare *de mentis immorta-*

(*a*) Vid. Jul. Cæſ. *Vaninus* amphith. exercit. 26.
(*b*) Diſquiſit. Magic. T. I. L. 2. qu. 26. ſect. 2.

talitate ſcriptum (*a*) elaboraverit. Imo in libris *de rerum varietate* conſcriptis, locum obſervavi, ubi breviter quidem, aſt magno cum rerum & verborum pondere commonſtravit, *animam poſt corporis interitum fore ſuperſtitem.* Ad hanc theſin comprobandam inter alia argumenta validiſſima, rationem quoque ab ipſius animæ natura depromtam, in medium affert, atque ita ratiocinatur: *Mens eſt immortalis, quia eſt quoddam ſimplex.* vid. *de rerum varietate. lib. VIII. cap.* 42.

VII. Omnes vero recentiores & ſagaciores Philoſophi (*b*) uno ore, nec ſine jure profitentur, in hunc uſque diem nullam argumentationem mentis immortalitatem melius demonſtrantem fuiſſe excogitatam hac ipſa ratiocinandi methodo, & perhibent, aliter fieri haud poſſe, quin is, qui ſcit, mentem eſſe ſubſtantiam ſimplicem, ſimul quoque agnoſcat, quod ſit morti & corruptioni non ſubjecta. Si enim eadem pro ente ſimplici habetur, ſtatuendum eſt, quod ſit deſtituta partibus, ſi deſtituta eſt partibus, non poteſt diſſolvi, ſi non poteſt diſſolvi, non poteſt mori. Mors enim conſiſtit in diſſolutione & ſeparatione partium totum conſtituentium. *Ergo ſi mens eſt ens ſimplex, tunc*

(*a*) Hujus libri in reliquis *Cardani* ſcriptis frequentiſſime fit mentio. Utrum vero unquam in lucem prodierit, incognitum mihi eſt.

(*b*) Ill. WOLFIUS & cum eo innumeri alii Philoſophi hoc potiſſimum argumento hodie utuntur, ſi demonſtrare volunt, animam eſſe poſt fata ſuperſtitem.

tunc eſt quoque incorruptibile , & immortale. Ex his omnibus nemo non intelliget, CARDANUM revera *animam poſt mortem crediſſe ſuperſtitem*, atque illam non ex metu hominum inani, neque ex ſuperſtitione, ſed propter graviſſimas rationes immortalem pronunciaſſe.

VIII. Oſtenſum nunc a nobis eſt, CARDANUM primo de exiſtente ſupremo Numine prorſus fuiſſe convictum, deinde ex attributis, ſummo rerum Conditori ab ipſo adſcriptis, intelleximus, quod talem coluerit Deum, qualem omnes puriori religione imbuti adorant; tum etiam cognovimus illum, omnes temerarias de rebus divinis diſceptationes magnopere abhorruiſſe, poſtremo etiam evictum eſt, *quod mentem crediderit immortalem.*

IX. Hæc omnia præſtantiſſimi viri probe agnoverunt, ideoque varii jam dudum pro eo defendendo ſtrenue maſculeque pugnarunt. Audiamus inprimis laudatiſſimum PARKERUM, (*a*) Britannorum Theologum celeberrimum, in monumentis CARDANI perluſtrandis ſolertiſſimum, qui teſte BUDDEO (*b*) omnia, quæ in illius ſcriptis occurrunt, & eum ab atheiſmi ſuſpicione liberant, in compendio adduxit. Ille ait: *CARDANUS in omni Philoſophiæ genere tam pie philoſophatus eſt, ut Philoſophorum nemo religioſius. In ſcrip-*

(*a*) Loco paulo ante citato.
(*b*) Theſ. de atheiſm. cap. 1.

ſcriptis, quæ ad mores ſpectant, religionem vitæque futuræ ſpem unicum vitæ beatæ fundum eſſe ſtatuit, ubique clamat, nullam mortalium, niſi a morte felicitatem eſſe, neminem, niſi, qui eam præſtolatus fuerit, felicem eſſe, quemque, cum certiſſima ſit, ſi felix eſſe velit, noctes atque dies præſtolari oportere, & ſi ea, qua oportet fiducia præſtoletur, ſumma ſemper felicitate, quibuscunque confligetur calamitatibus, gaudere; denique hoc uno momento res humanas ſtare, ſi ſummæ Numinis providentiæ curæ ſimus, poſt funera, neque ante felices fore, ſin alias, nunquam naſci præſtare, & propterea, cum niſi illius conſilio in hanc vitam naſci non poſſe liqueat, quin in alteram naſcituri ſimus prudenti cuivis dubitare non licebit. Talia ubique legas in libris de optimo vitæ genere, de conſolatione, de vita propria, in memoriali, in promtuario, quos cum paucis aliis ipſe optaret ſolos e ſuis ſupereſſe. Denique in ipſo extremo Tragœdiæ actu, cum omnes vitæ anteactæ ærumnas enumeraverat, interroganti, an non vixiſſe pigeat, feliciſſimum ſe ſemper eſſe clamat, quod in miſera hac mortalitate naturam ſuam divinæ immortalitatis participem certo eſſe, noverit, & quidem tam geſtienti animi affectu, & ardore de vita futura ſemper loquitur, ut haud quemvis alium legiſſe meminerim, qui eam aut conſtantius credere, aut ad eam acrius anhelare videatur: In phyſicis Deo omnium autore ſemper uſus eſt, atque rerum naturæ rationes a finibus, quos ipſe in

mundo

mundo condendo habuit, inveſtigandas eſſe voluit, quos itaque ipſe complures invenit, & expoſuit, potiſſimum de terræ ſitu, de mari, de ejusdem magnitudine, æſtu, ſalſedine; de fontium & fluminum ortu; aliisque, quæ ad orbem hunc noſtrum pertinent; phœnomenis; quorum varios uſus primum inveniendo; cauſas phyſicas, quæ iis aſſequendis inſtitutæ ſunt, quodammodo explicavit, & quidem eo præditus erat animi acumine, ut magnus Philoſophus fuiſſet, ſi Peripateticus non eſſe auſus fuiſſet. Et denique in Aſtrologicis, quanquam tantam aſtris vim adſcribi voluit, aſtra tamen Numinis providentiæ ſubjecit, neque iis tanquam cauſis principibus uſus eſt, ſed tanquam primæ miniſtris; & tam vana ubique cum in aſtrologia ſua, tum in cæteris ſuis inanibus diſciplinis de Deo, divinaque providentia commentatus eſt, ut quicunque legat, non omnino atheum, ſed totum Fanaticum fuiſſe concluſerit. Cum itaque tam parvæ ſint hujus turpiſſimæ ſuſpicionis ſcintillæ, cumque e contra tam validæ rationes, quæ eidem adverſentur, ne quæſo, immenſo miſeriarum cumulo, hanc impietatis accumulemus infamiam, ſed potius viri eruditi, quo nemo nec ipſe, qui in fabulis Philoctetus infelicius vixit, triſte fatum doleamus.

X. Conſentit cum doctiſſimo PARKERO Cel. MORHOFFIUS l. c. quando affirmat: *Sunt qui atheiſmi illum crimine onerant; quod quidem non adeo e ſcriptis ejus elucet.* Neque diſſentiunt ARNOLDUS in Hiſt. eccleſ. &

hæret.

hæret. BUDDEUS theſ. de atheiſmo, REIMANNUS hiſtoria atheiſmi, & plures alii. Præterea ſcripta ejus ſcatent locis, ubi enumerat, ſpectra & larvas ab ipſo viſas; ea quoque patefaciunt, quod ſomnia, oſtenta & auguria ſæpe vaniſſima magni fecerit, iisdemque multum adhibuerit fidei. Cuncta hæc *ſuperſtitioſi quidem notam* CARDANO conciliant, auferunt vero, & prorſus removent athei infamiam. Quem enim ſuperſtitio ſive inanis ſupremi Numinis metus trepidare cogit, in eodem atheiſmus ſive ſumma temeritas ſeſe conatibus maxime execrabilibus potentiſſimo univerſi Domino opponendi, hoſpitium invenire nullo modo poteſt. Quos itaque forſitan admiſit errores, magis ineptiis admiſſi nobis videntur quam improbitate. Spe ergo lactamur, illum hanc ob rationem tanto facilius veniam eorundem apud ſagaciores impetraturum fore.

SECTIO XVII.

Apologia Taurelli.

NICOLAO TAURELLO etiam catalogus Medicorum de religione ſuſpectorum auctus eſt. Montbelgardi, oppido ducibus Wurtenbergenſibus ſubjecto, primam lucem vidit An. 1547. (*a*) Tubingæ ſtudiis operam navavit & non in uno ſcientiarum genere, ſed in pluribus ſimul, in Philoſophia ſcilicet, in Theologia atque Medicina animi ſui

(*a*) Vid. *Bajeri* vitæ Medicinæ Profeſſ. Altorfin.

ſui vires exercuit. Ingenii monumenta, quibus poſtmodum ſingulas haſce doctrinas auxit & amplificavit, abunde teſtantur, illum in iis tantos feciſſe progreſſus, ut titulum pereximii polyhiſtoris jure meritoque tueri potuerit. Quum ſupremos in arte medica obtineret honores, poëta quidam in parva corporis ejus ſtatura, ingenium illius magnum admiraturus atque deprædicaturus ſcripſit:

Corpore Taurellus, Taurus es ingenio.

Quod encomium licet valde ambiguum & parum ſane urbanum videatur, joci cauſa ſæpe ſuis amicis & familiaribus enarravit, ut Caſp. SCIOPPIUS refert in *Scaligero Hypobolimæo.* Baſileæ primo erat Medicinæ Profeſſor, abhinc Altorfium evocatus conceſſit, & ibidem Philoſophiam naturalem atque Medicinam, omnium cum applauſu, per quinque luſtra publice docuit, & varia erudita ſcripta edidit: Ubi demum anno 1606. dira peſte ex vivis ſublatus eſt. Qui plura de eo ſcire deſiderat, vid. BAIERI vitas Profeſſorum Medicinæ Altorfinorum.

II. Excellenti & acerrimo ſuo ingenio vir ſagaciſſimus perſpiciebat, nihil magis ad tenebras & errores in ſcientiis fovendos, ſupprimendamque lucem & veritatem conferre, quam præjudicium auctoritatis & inanem a veterum, maxime autem ARISTOTELIS, recedendi placitis metum; quibus vitiis univerſus litteratorum orbis tunc temporis laborabat. Hinc ſimulac animum adſcribendum applicabat, communem illum eruditorum

morbum

morbum tollere, libertatem ſentiendi, ante CARTESIUM, in Philoſophiam introducere & durum Ariſtotelicum jugum excutere ſumma ope nitebatur. *A prima enim juventute ſua*, ut ipſe profeſſus eſt, *perpetuo ſibi hoc fuit propoſitum, ut errores patefaceret & refutaret, quibus Ariſtotelicam ſcatere viderat Philoſophiam, & eos quidem maxime, qui religioni Chriſtianæ adverſarentur.* (*a*) Hunc etiam in finem pleraque ejus ſcripta philoſophica tendunt, inprimis autem *Triumphus Philoſophiæ, Alpes cæſæ, de rerum æternitate diſſertationes & ſynopſis Metaphyſicæ Ariſtot.*

III. Quamvis vero ejus propoſitum admodum laudabile & neutiquam contemnendum fuerit, hoc ipſo tamen plurimorum ſuæ ætatis Philoſophorum, imo & quorundam Theologorum, animos vehementiſſime offendit, quorum multi, ipſo TAURELLO teſte, tam cœco obſequio in veterum ſapientum & cumprimis STAGIRITÆ verba juraverant, ut *maluerint veritatem ſupprimi, quam* ut lædatur aut abrogetur magni *Ariſtotelis auctoritas.* (*b*) Hæc ergo antiquæ Philoſophiæ mancipia miro cum fervore & vehementia inſurgebant, detectos a TAURELLO errores defendere & ad inventa ab ipſo dogmata, quia nova erant, rejicere anxie laborabant. Quum vero validis deſtituerentur argumentis, ſibi religioni non ducebant, magis

(*a*) In epiſt. dedicat. Lib. de rerum æternit. hoc videri poteſt.

(*b*) Vid. dedic. lib. de rer. æternitate.

magis interdum conviciis quam rationibus, ut ſæpe fieri ſolet, pugnare. Ex hoc igitur fonte objectiones, calumniæ & inſultationes in Doctiſſ. TAURELLUM edictæ maximam partem ortum ſuum duxerunt.

IV. Reliquis prætermiſſis in has paulo majori cura inquiremus, quibus livor malevolorum ejus pietatem atque religionem adortus eſt; de quibus ſæpiſſime in ſcriptis ſuis ipſemet conqueritur, nimirum in præfatione libri, quem inſcripſit *Alpes Cæſæ*, ſequentem hac de re querimoniam movit: *Fuerunt, qui nos Dei providentiam, fuerunt, qui nos ejus omnipotentiam negare dicerent: qua de re vellem me ab ipſis fuiſſe admonitum. Si namque veritatis cauſa de hiſce diſſeruimus, cui mihi mea teſtis eſt conſcientia, quidni de errore aliquo convicti demonſtratæ veritati cederemus.* Synopſi Metaphyſ. Ariſtot. cap. de providentia memorat: *Aliqui nos magni criminis inſimularunt, atque ſi divinam inficiaremur providentiam.* Præſertim vero illius accuſationem ægerrime tulit, qui dixit, *eum nihil credere & Turca deteriorem eſſe*, in præfat. ad tractat. tertium Triumphi Philoſophiæ. Hæ querelæ nos edocent, TAURELLO adhuc vivo varios admodum ejus ὀρθοδοξίαν in dubium vocaſſe. Liceat ergo nobis à Cel. FEUERLINO hac in re diſſentire, qui putat ZACH. VICTOREM illud primum feciſſe in Topica ſua, poſt mortem *Taurelli* Gieſſæ 1608. edita. (*a*)

 V. Com-

(*a*) Vid. JAC. WILH. FEUERLINI Philoſophi & Theo-

V. Complures præterea adverſariorum ejus perhibent, illum ſtatuiſſe *orbem terrarum ita ſemel a Deo diſpoſitum atque conditum eſſe, ut mutationes & motus in eodem obvios, ſine immediato Numinis concurſu producere & inſita ſua virtute perſiſtere nunc poſſit*; atque hanc ob cauſam eum pro heterodoxo erronea atque impia fovente dogmata declararunt. (*a*)

VI. Nolumus ire inficias TAURELLUM hancce ſententiam de ſtructura & conſtitutione hujus mundi habuiſſe, docuiſſe & propugnaſſe. Damus adverſariis ſine multorum verborum ambagibus, illum credidiſſe ſolis ortum atque occaſum, varios ſiderum errantium curſus, mutationes anni, plantarum, animalium ipſorumque hominum proventus, vitas atque interitus, poſteaquam ſummus rerum Creator iis omnibus motum atque impulſum potentiſſimo ſuo verbo indidit, nunc propria & inſita a Deo his corporibus naturalibus agendi potentia fieri, neque opus eſſe, ut Deus iſtiusmodi commotiones & actiones, quæ in rerum univerſo contingunt, *immediate* dirigat atque

Theologi Academiæ Altorfinæ Celeberrimi, diſſertatio apologetica pro Nic. TAURELLO atheiſmi & deiſmi injuſte accuſato, ſect. I. §. 1. Huic addita eſt ipſius TAURELLI Synopſ. Ariſtot. Metaphyſ. cum annotationibus editoris recuſa. Norimbergæ 1734. 4. Doctiſſimus hujus Apologiæ Auctor defendendo TAURELLO partes ſuas tam ſtrenue & maſcule egit, ut hic nobis nonnulla tantum addenda vel immutanda fuerint.

(*a*) Vid. *Zach. Victor* in Topica Gieſſæ 1608. 8. edita. *Jacob Martini* in partit. & quæſt. Metaph. *Geretius* in nævis Medicorum Theologicis & multi alii.

atque gubernet; ſed negamus ac pernegamus, iſtud dogma ullam involvere impietatem. (*a*)

VII. Præſtantiſſimi noſtræ ætatis ſapientes & in rerum mathematicarum atque phyſicarum ſcientia vel mediocriter etiam exercitati omnes propemodum hodie talem ſapientiſſimam orbis diſpoſitionem & conſtitutionem agnoſcunt, tradunt atque defendunt: & revera. ſi verum fateri velimus, hæc ſententia divinæ majeſtatis potentiæ ac ſapientiæ longe magis convenit, quam illorum hypotheſis, qui mundum tam imperfecte & miſere conditum eſſe opinantur, ut in eadem ne minimi quidem motus ſine peculiari Numinis concurſu & auxilio peragi poſſint, & ut ſtatim ruiturus ſit, niſi perpetuis a Deo immediate ſuffulciatur fulcris. Hi enim dum iſtiusmodi mundi conſtructionem ſive Mechaniſmum negant, & immediatum Dei concurſum ac directionem neceſſariam eſſe opinantur, ad omnes motus ordinarios ſiderum v. c. aliarumque rerum in univerſo hoc mobilium non conſiderant, quod illud ædificium vel illa machina longe imperfectior eſſet, quæ perpetuo architecti vel artificis adjumento ac directione indigeret, quam ea, quæ ſine illorum adjumento ac directione ſubſiſtit atque motus & actiones ſuas perficit.

(*a*) Hac enim doctrina ſagaciſſimus *Taurellus* nil aliud, niſi *mechaniſmum* inculcat. Hunc autem ad Deum & ejus perfectiones rite agnoſcendas, illum pie colendum potius ducere, quam ad impios abripere errores, ſupra jam evictum eſt.

VIII. Quam miſera eſſet domus illa, quæ non per longum tempus ſponte ac ſuis mechanicis principiis atque fundamentis ſubſiſtere poſſet, ſed quam architectus, ne mox rurſus corruat, continuo fulcire atque ſuſtentare cogeretur. Si perpendimus, quam miſerum & imperfectum eſſet illud horologium, quod dies, horas, minuta & quod alias indicare ac docere debet, id non ſponte præſtaret, ſed perpetuum artificis adjumentum, auxilium & directionem deſideraret. Contra quo diutius hæc ſolum omnia præſtat, eo perfectius ſane eſt horologium & eo ſapientiorem artificem, qui illud tam bene conſtruxit, eſſe intelligimus. Idem de molis aliisque artificioſis machinis & automatibus indicandum & concedendum eſt, niſi quis in clara luce cœcutire velit. Quemadmodum vero hoc in totius univerſi machina, ita id etiam in minoribus, in majori illa degentibus machinis, homine ſcilicet, animalibusque ceteris, imo etiam in plantis verum eſt, quod nimirum longe perfectiores atque magis nobiles illæ ſint habendæ, quando ſponte & ſine immediato Conditoris concurſu, adjumento aut directione motus & actiones ſuas perficiunt, quam ſi Deus omnia hæc immediate movere, impellere ac dirigere deberet.

IX. Neſcio quæ non mala conſequentia multi inde deducere, dum liberum hominis arbitrium ſic tollerent & Deum auctorem peccati, quod vel cogitare iniquum & blaſphemum eſt, facere poſſent: quod non fit, ſi homini

mini liberum ac ſpontaneum agendi faciendique arbitrium abſque Conditoris concurſu, uti revera eſt, conceditur. Quanto labore, quantoque ſtudio inquiſiverunt ſummi mechanici & artifices, ut machinam perpetuo ſine artificis concurſu mobilem, quod *perpetuum mobile* vocarunt, conſtruerent, vel ſaltem talem, quæ diu, per aliquot tantum annos ſponte ſe moveret, certasque & ordinatas actiones perficeret. Nam iſtiusmodi machinam pro longe nobiliori & præſtantiori omnes reputarunt, quam eas, quæ ſine aliquo motore aut directore vel ſaltem non diu motus & actiones ſuas ſponte præſtant; ſed ejusmodi vix atque ne vix quidem hactenus excogitare vel invenire potuerunt. Unde patet, quam difficile ſit machinas, que ſponte certas actiones peragunt easque diu continuant, condere.

X. Ille igitur pro ſummo jure meritoque habendus mechanico, qui hujusmodi machinam invenire ac conſtruere poteſt. Quando vero in mundi hujus ædificio ſive Mechanismo perpendimus, quamdiu & quam accurate ſidera ac planetæ ſinguli ſuos perficiunt circulos ac motus, quam accurate annos, menſes, dies, horas, minuta indicant &c. quam apte tot homines, tot animantia motus actionesque ſuas tam diu ac tam bene peragunt, quam egregie cor, tanquam perpetuum mobile in corpore animalium, dies noctesque motus ſuos mirabili & ſtupendo prorſus modo & fere centies millies ſingulis diebus exercet, quilibet facile, qui hæc ſerio perpendit, fateri cogetur,

 tur,

tur, mirabili prorſus ac ſapientiſſimo Mechaniſmo hæc fieri omnia, & ſimul agnoſcet, Artificem ſive Conditorem eorum maximum, ſapientiſſimum, potentiſſimum ac ſumme perfectum eſſe, eumque tanto majorem ac perfectiorem, quo melius & quo diutius hæc omnia ex artificioſa mechanica fabrica ſponte ac ſine artificis immediato concurſu peragunt, quam ſi Artifex ſive Conditor ea continuo movere ac dirigere cogeretur.

XI. *Neque hæc ſententia ſapientioribus & Philoſophis & Theologis Chriſtianæ religionis adverſatur*, dum mundi vocabulo *magnum illud cœli & terræ ædificium* intelligunt, illumque etiam ita definiunt. Deinde multi horum mundum hunc cum ædificio, id eſt, mechanico quodam artificio comparant: id quod, ut alia exempla nunc taceam, ex pio illo eccleſiæ noſtræ hymno patet:

Du o ſchnödes Welt-Gebäude magſt gefallen/ wem du wilt/ ꝛc.

Neque in ſacra ſcriptura deficiunt loca, ubi Spiritus S. de mundo, tanquam de ædificio quodam loquitur: ut de firmamento, 1. Moſ. I. aliquoties de *portis cœli*, Pſalm. 78.23. *portis inferni*, Matth. 16. fundamentis mundi, Lucæ XI, 50. ἀπο καταβολης κοσμȣ.

XII. *Admiramur* denique *manum artificis machinas* per aliquot tantum horas ſeſe virtute propria moventes parare callentis: quanto magis admirabimur Deum, ſi cogitabimus illum exſtruxiſſe mundum, machinam, quæ vi ſuæ ſtructuræ & inſita a Deo activitate agitata

motus

motus concinnos & maxime ordinatos, omnesque certis finibus atque uſibus deſtinatos, per tot millia annorum produxit & per immenſum fortaſſis ævum adhuc productura fuerit?

XIII. Perſpicaciſſimus TAURELLUS mentem hanc ſuam pluribus expoſuit elegantiſſimo carmine in eorum gratiam conſcripto, (*a*) qui hanc ſuam ſententiam ſiniſtre interpretati fuerant: quod quia non tantum multa cum voluptate, verum etiam peculiari ad ſapientiſſima rerum Conditoris reverentiam excitatione legi poterit & non ubique proſtat, noſtræ nunc inſeremus exercitationi.

At tua, ſumme Deus, qua tandem voce canemus,
Quove ſat exculto celebrabimus omnia verſu
Maxima facta? Quibus grandis pulcerrima mundi
Machina completur, certisque laboribus acta
Humanæ peragit felicia commoda ſortis.
Hic elementa ſuas cœleſtibus excita donis
In ſeſe exercent vires, permixtaque fractis
Viribus in varias abeuntia corpora maſſas.
Mutua ſubjiciunt alienæ damna ſaluti:
Atque ita multiplici noſtros formantur in uſus
Temperie, miraque Dei virtute paratas
Concipiunt ſpecies, varios ſubeuntia motus.

 Nam

(*a*) Quod exſtat in ſynopſ. Metaph. Ariſtot. §. 142.

Nam Deus hunc paucis cum conderet ante diebus
Expleretque ſuis perfectum partibus orbem;
Immenſas habitare domos viventia juſſit,
Aethereasque dedit volucres: celerique natatu
Per mare, per multos decorantia flumina tractus
Errantes piſces, ſolidoque terentia greſſu
Mole retinentes animalia plurima terras.
Terrarumque globum varie florentibus herbis
Veſtiit, & gratos multa dedit arbore fructus,
Quæ tamen invicto, & triſti ſubjecta fluentis
Naturæ fato, & celeres detrita per annos,
Omnia diſpereunt. At ne tamen omnibus uno
Tempore deletis, ſimul omnis ſplendor & uſus,
Vitaque tam pulcri, grandisque labeſceret orbis;
Non ſine complures manſura prole per annos
Juſſit abire Deus canos ætate parentes.
Maturoque graves areſcere oportuit herbas
Semine & arboreos paulatim accreſcere fœtus.
Multaque deciſas arbuſcula reddere ſilvas
Debuit; ut varie per certas mortis & ortus
Acta vices ſtabili viventia lege perennent.

Se-

Seminis hæc virtus, hæ ſunt genitalia vires
Membra quibus pollent, vitamque genusque propagant.
Præclari hæc operis perfecta eſt forma decusque
Per ſe perſiſtens nullo violabile motu.
Sique lapis ſurſum protruſus ad ima recurrit
Natura, & virtute ſua; ſi flammeus urit
Ignis; & objectis tellus depreſſa reſiſtit
Ponderibus, duraque excelſas ſuſtinet arces
Mole ſua firmamque loci natura quietem
Et gravitas infert; humilesque petentia terras
Flumina quando ſua gravitate moventur & errant:
Quidni etiam propria cœli virtute ferantur?
At cur externos cœlis volvenda, requirant
Aſtra rotatores? ubi nulla obſtacula motus
Materiæque parum; ſed mobilis intima formæ
Multa viget virtus, tenues ſine corpore vitas,
Juſſorumque Dei celeres imitata miniſtros:
Qui facile & ſubito quocunque moventur: ubique
Ut nomen; faciemque Dei præſentis adorent.
Atque ita finiti rapido tamen omnia motu
Corpora transvolitant; complentque immenſa locorum
Intervalla. Dei cur hæ in parte laborem
Depoſcas, quo non ſit opus? quid templa domusve

 Quæ

Quæ niſi ſuſtineas proprio dabit acta ruinam
Pondere? Prægrandes quæ tanta potentia cœlos
Quæ perimat? ſolus certe qui condidit, idem
Et ſolus mutare poteſt, & tollere ſolus
Immenſa virtute Deus; qui ſolus & auctor,
Solus & hoſtis erit: certo qui tempore tollet,
Accenſumque novis hunc deſtruet ignibus orbem.
Qui virtute tamen perſiſtere poſſet eadem,
Qua nunc conſiſtit, longumque manere per ævum
Non prohibente Deo. Sed quas complectitur in ſe
Plurima terrenis obſtant incommoda rebus;
Incertæque vices nos inſectantur, & urgent,
Et noſtra impendent immenſa pericula vitæ;
Interitumque dies & quælibet hora minantur.
His quæcunque juvant ſubito metuenda nocebunt.
Nosque repentino ſuccreſcens unda tumultu
Territat, & noſtra metuunt incendia viſo
Igne domus; diraque necem minitantur & infert
Peſte per humanum qui corpus permeat aër.
Quid varios caſus, morbosve timere, ferasve
Juverit? Haut homine eſt homini truculentior ullus

Ho-

Hoſtis, nec noſtri ſitientior ulla cruoris
Eſt fera, quam ſit homo; ne gratia forte fidesve
Ulla ſit, aut noſtræ tutela ſit ulla ſalutis.
Et furor hic in nos properans inſurgit, & ardet
Præcipue gentemque Dei, populumque fidelem.
Ergone qui diros noſtris a finibus hoſtes
Arceat, aut Satanam valida virtute manuque
Contineat, ſævæque vetet contagia peſtis:
Resque fero noſtras vigilans tuetatur ab igne;
Noſtraque nullus erit, qui corpora protegat: aut qui
A nobis poſſit varios avertere caſus?
Et tua Chriſte ſuis eccleſia preſſa labeſcet
Succumbensque malis nullo tutante peribit?
Non hæc eſt tellus, aërve, nec unda, nec ignis:
Nec firmo ſunt hæc cæleſtia robora motu;
Vitrea ſed fragili trepidans eſt vita vigore:
Incertæque vices rerum vitæque necisque.
Hic tua, ſumme Deus, noſtris immenſa poteſtas
Rebus; & humanæ tua provida cura ſaluti
Proſpiciens; & nos & noſtra tuetur: & arcet
A nobis facili quæcunque pericula nutu.
Quæ benefacta pio celebrabimus omnia verſu,

Aeter-

Aeternumque tuas grata, Deus optime, laudes
Et læta extenſas ad ſidera voce canemus.

XIV. His ipſis acutiſſimus TAURELLUS luculentiſſime ſuam manifeſtavit pietatem atque reverentiam erga Deum plane mirificam. Nullus ergo dubito, quin ſagaciores ad unum omnes illum non tantum a deteſtando atheiſmi crimine liberaturi, ſed potius encomio & laude viri pii, honeſti, menteque ſincerrima ſupremum Numen venerantis ornaturi ſint. Opus igitur haud eſt, ut multi adhuc ſimus incommemorandis & refellendis horum commentis, qui ex TAURELLI litterarum monumentis hanc impietatem miris & illicitis extorquere artibus auſi fuere; præſertim cum laudatiſſimus FEUERLINUS otia nobis hac in re fecerit, ad cujus eruditiſſimam TAURELLI apologiam plura de eo factis objectionibus ſcire cupientes ablegamus.

XV. Hoc unicum ſolum monere volo, quod Cl. FEUERLINUS in attributis Dei a termino ſive vocabulo *infiniti* & *infinitatis*, quo TAURELLUS utitur, abſtinendum eſſe cenſeat. Verum ſi vocabulum *infinitas* ſeu *infinitum* non ſiniſtre interpretatur, nullum aliud mihi videtur ad exprimenda Dei attributa gravius vel accommodatius quo profecto carere vix poſſumus. *Infinitum* enim vi vocis denotat omne illud, quod nullos habet limites, fines vel terminos. Quid vero divinis perfectionibus magis conveniens & conſentaneum eſt,

quam

quam dicere eas omnes nullis coerceri limitibus, nullis coarcturi finibus? Itaque cur ab his vocabulis hoc in argumento plane abſtinendum ſit, ego rationem ſufficientem non perſpicio. Nos interea ad honorem, famam & pietatem tanti Medici a cavillatorum opprobriis atque inſidiis vindicatam & feliciter conſervatam cum univerſo Philiatrorum ordine lætamur.

SECTIO XVIII.

Apologia Vanini.

I. JULIUS CÆSAR VANINUS, Neapolitanus, Philoſophus, Theologus ac Juris utriusque Doctor fuit, quemadmodum tituli librorum ſuorum, *Amphitheatri* ſcilicet *providentiæ divinæ* & *Dialogorum de Arcanis naturæ* docent. Varii, neſcio quam ob rem, aliud prænomen ipſi dant: Nam à GRAMONDO in Hiſt. Galliæ Lib. III. LUCILIUS VANINUS; à Jo. CLUVERO in Epitom. hiſt. mundi LUCIOLUS vocatur. GARASSE, *dans la doctrine curieuſe*, illum LUCIUM; ZEILERUS vero in Topograph. Gall. loco Julii Cæſaris POMPEJUM ipſum appellat. Quænam hujus variationis cauſa ſit, utrum plures forte fuerint ejusmodi VANINI, an negligentius hi ſcriptores, ut videtur, de eo ſcripſerint, ego non ſatis intelligo. Suſpicor tamen hos VANINI noſtri ſcripta non vidiſſe; quia brevi, poſtquam edita, partim rurſus combuſta partim prohibita fuerunt; hinc raro videri aut deprehendi potuerunt,

De vero ejus nomine.

potuerunt, adeoque illi ſcriptores, ut opinor, tantum fando atque ſic oſcitanter nimis de eo propoſuerunt; alias, quare in nomine ejus ita erraverint, cauſam nullam perſpicio. BUDDEUS quidem (*a*) perhibet, eum ex ſuperbia prænomen ſuum *Lucilii*, quod a patre accepiſſet, mutaſſe, & JULII CÆSARIS, tanquam magni herois, aſſumſiſſe; verum hoc non probat; adeoque hac in re non plus ei fides haberi poteſt, quam illi, qui *Pompejum* ipſum nuncupavit. Hic vero præ ceteris mihi tantum fando de *Julio Cæſare* noſtro audiviſſe videtur, verique deinde nominis oblitus, quia olim JULIUS CÆSAR & POMPEJUS in bello Romano celebres illi adverſarii fuerunt, loco *Julii Cæſaris*, POMPEJUS in mentem venit, atque ſic POMPEJUM ipſum appellavit.

II. Quia vero primo in titulo librorum ſuorum, dein in dedicatione ad Legatum Regis Hiſpaniarum (ubi nomen falſum aſſumere ſæpius periculoſum) & denique in præfatione ſemper JULIUM CÆSAREM ſe ipſum nominavit, atque deinde etiam cenſores librorum ipſius itemque amici ejus omnes, quorum multi ſunt, qui carminibus gratulatoriis eum honorarunt, ipſum ſemper quoque ita appellarunt, imo in carminibus ſuis fere omnes ad nomen hoc ejus alluſerunt, haud dubium mihi eſt, JULIUM CÆSAREM verum ejus nomen fuiſſe & reliquos erraſſe

(*a*) Lib. de atheiſmo, ſæpius jam citato cap. 1. pag. m. 121.

erraſſe. In teſtimonium hujus rei unicum tantum, ſed revera elegantiſſimum GONTERII, Archiatri Regii, carmen hic addam.

Pompejum infeſtis devicit *Julius* armis,
Cæſar hic ingenio vicit Ariſtotelem

Fortuna & vario ſtipatus milite vicit
Julius: hic ſolo vicit ab ingenio.

Ingenium quanto præſtat furialibus armis,
Tanto hic plus laudis *Cæſare* Cæſar habet.

III. Vulgo quidem etiam pro *Medico* venditatur; ſed an revera Medicus, hoc eſt, Doctor Medicinæ fuerit, (nam hos proprie hoc & ſuperiori ſeculo Medicos vocarunt & adhuc vocant) nusquam certe reperire potui: adeoque ab ejus defenſione, cum Medicos ſolum ab hoc crimine & ignominia liberandos mihi nunc propoſuerim, deſiſtere eumque Philoſophis, Theologis aut Jureconſultis, ad quos aperte pertinet, & ad quos ſe ipſum refert ac profitetur, defendendum relinquere poſſem; quemadmodum etiam hoc à pluribus jam annis ab egregio Jureconſulto factum eſt. (*a*) Attamen quia communiter *An Medicus fuerit.*

(*a*) Libro, qui inſcribitur *Apologia pro* JULIO CÆSARE VANINO, *Neapolitano* Coſmopoli, ſive ut ex litteris & charta ſuſpicandum, in Hollandia Anno 1712. 8. impreſſa, ſine nomine auctoris. Qui vero ut non ſolum Cel. STOLLIUS, Jenenſium Profeſſor, in Hiſtoria ſua Philoſoph. Part. II. cap. 3. indicat, ſed ut ab aliis viris fide dignis accepi, ARPIUS eſt, Celebris in Holſatia Jureconſultus. Ex qua doctiſſima Apologia multa con-

ter pro Medico, licet forte falſo, venditatur, & forſitan ſolum ab inimicis & perſecutoribus ipſius Medici titulo non honoratus, ſed oneratus eſt, ut, quia Medici ob religionem male vulgo audiebant, tanto facilius, cum ipſum atheiſmi criminis reum agere & capitis condemnare vellent, apud profanum & ſuperſtitioſum vulgum fidem invenire eumque leviori negotio e medio tollere poſſent; hæc vero ſemel de ipſo concepta opinio, quod ſcilicet Medicus fuerit, per traditionem in ignominiam Medicorum propagata ſit, ut nimirum eodem catalogum Medicorum de religione & atheiſmo ſuſpectorum augerent, ego vero cum non paucis aliis ipſum a crimine atheiſmi non ſolum immunem ſed potius contra atheos fortiſſimis argumentis diſputantem invenerim, ipſius innocentis doctiſſimi, ſed infeliciſſimi viri & genuinorum *Hippocratis* filiorum cauſa, quædam ex præcipuis argumentis pro ipſo defendendo ejusque innocentia uberius demonſtranda in medium proferam, ſic, ut ſi forte inpoſterum adhuc ipſum revera Medicum fuiſſe certe demonſtraretur, apologia ſive defenſio mea pro ipſo jam facta eſſet.

Mihi haud veriſimile eſt, & quare. IV. Interea, donec contrarium probetur, mihi veroſimillimum videtur, ut jam dixi, inimicos & perſecutores ejus ipſum invitum feciſſe

confiteor hauſi; varia vero, quæ ad ſcopum noſtrum non pertinebant, omiſi; nonnulla, quæ prætermiſſa videbantur addidi & interdum meum a Cl. Defenſore diſſenſum modeſte indicavi.

feciſſe Medicum, & ante MOLIERUM jam fabulam illam, *Le Medecin malgré lui*, ſed triſtiſſimo ejus ac tragico prorſus exitu, cum ipſo luſiſſe. GRAMONDUS quidem, Hiſtoricus Gallicus, ſed VANINO, ut probabo, inimiciſſimus, qui VANINI noſtri brevem hiſtoriam, licet valde corruptam & imperfectam, dedit, & miſerabile, imo acerbisſimum atque crudeliſſimum ejus mortis genus enarravit, (Lib. III. Hiſt. Gall. an. 1618. & 1619. mihi, in edit. Francof. p. 210.) de ipſo, ſed obſcure valde ſcribit, eum *Medicinæ in ſpeciem profeſſorem fuiſſe*, id eſt, ut ego hæc verba comprehendo, eum in ſpeciem pro Medico ſe venditaſſe, ſive *ſe Medicum finxiſſe*, aut ſimulaſſe Medicum, revera tamen non fuiſſe: nam quod Medicinæ Profeſſor conſtitutus Academicus fuerit, quemadmodum hodie Profeſſores Medicinæ dicuntur, qui in Academiis à Principe vel Magiſtratu in hunc finem conſtituti Medicinam docent, haud probabile eſt; quia dicit, ipſum *in ſpeciem tantum Medicinæ Profeſſorem fuiſſe*, & deinde ait, eum *magna ſpe Philoſophiæ & Theologiæ incubuiſſe*; paulo poſt vero etiam refert, *ſe Philoſophiæ Profeſſorem mentitum eſſe*; pag. 211. & pag. 212. *Medicumque ſapiebat magis quam Theologum, quanquam pro Theologo audiri* amabat. Quæ vero omnia GRAMONDI dicta adeo varia, obſcura, inconſtantia, imperfecta & confuſa ſunt, ut quid vere fuerit VANINUS inde certo cognoſci non poſſit.

V. Medicum autem ſive Doctorem *Medicinæ fuiſſe VANINUM*, præter ea, quæ hactenus dicta ſunt, ſequentia etiam me dubitare jubent; quod nimirum ſe ipſum in titulis librorum ſuorum, ut *Amphitheatri divinæ, providentiæ* & *Dialogorum de arcanis naturæ Philoſophum, Theologum, Juriſque Doctorem* appellat, quemadmodum ſcriptores plerumque, quid ſint, in titulis librorum, ut quilibet inde eos cognoſcat, indicare ſolent; *Medici autem aut Doctoris vel Profeſſoris Medicinæ nullam prorſus fecit mentionem*. Ab omnibus etiam, qui librum iſtum ſuffragiis, carminibus & encomiis ornarunt, quorum tamen, ut jam diximus, multi ſunt, *Philoſophus*, (& quidem ſubtiliſſimus) *Theologus*, (& quidem præſtantiſſimus) *& juris utriuſque Doctor ſalutatur*; a nemine autem illorum Medicus aut Medicinæ Doctor vel Profeſſor nuncupatur. Ita & in dedicatione Amphitheatri ſui, quæ Regis Hiſpaniarum legato inſcripta eſt, ait: *Juriſprudentiæ atque Theologiæ ſtudiis in Parthænopoeo & Patavino circo decurſus, reliqua fere omnia litterarum exercitationum per totum Europæum orbem erecta Theatra, Amphitheatra circosque duxi frequentandos*. Sed nihil quicquam de Medicina dixit. Si vero Medicinam vel docuiſſet, vel feciſſet, profecto, ob ſummum, quo agitabatur gloriæ ſtimulum, mea quidem ſententia, Medici nomine ſeſe ipſum vel in titulis vel præfationibus librorum condecorare vel verbulo ſaltem indicare haud oblitus fuiſſet, ut ſic polyhiſto-

ris

ris famam & gloriam, pro ea, qua erat honoris cupiditate affectus, ſibi conciliaſſet; verum hoc non fecit. Ergo inde judicandum, *ipſum potius Medicum non fuiſſe, quam fuiſſe.*

VI. Præterea omnia illius ſcripta nota ſunt vel *Philoſophici vel Theologici* argumenti; imo & e ſuggeſtu publico ſermones ſæpius ad populum habuit, quod Theologum ipſum fuiſſe ſatis demonſtrat. (*a*) Medicinam vero, an litterarum monumentis illuſtraverit, aut in Medicina aliquid ſcripſerit, mihi haud ſatis patet. Auctor quidem apologiæ pro VANINO ſupra jam laudatus illum etiam ex vulgari, ut videtur, opinione pro Medico habet, (nam illud non probat) & inter ejus ſcripta, ex relatione aliorum, enumerat quoque *commentarios quoſdam Medicos*; ſed addit, quod *hi ſuæ ſe ſubducant curæ*; id eſt, ſicut ego intelligo, quod eos nunquam viderit. Conſului eorum gratia SCHENCKIUM, LIPPENIUM, LINDENIUM aliosque, qui Medicorum ſolertiſſime recenſuerunt ſcripta; de his autem commentariis altum apud omnes eſt ſilentium. Magnus noſter CONRINGIUS in introduct. in artem medicam & STOLLIUS hiſtor. Medicinæ ne verbulo quidem neque VANINI, neque commentariorum illorum meminerunt.

VII. Ex quibus omnibus tanto magis veriſimile eſt, *Medicum illum haud fuiſſe*, atque ſi forte aliquo modo artem ſalutarem tractavit, aut aliquid in ea ſcripſit, illam certo non ut

(*a*) Vid. Hiſt. Bibliothec. Fabric. Tom. VI. p. 518.

ἔργον ſuum, ſed ut πάρεργον excoluit: quemadmodum jam plures alii noti ſunt, qui Medici non fuerunt, & tamen animi gratia, res medicas excoluerunt, imo etiam de his ſcripſerunt. Ita enim, ut veteres Heroes ac Reges nunc taceam, EUPHORBIUM, ATTALUM, MITHRIDATEM, Romanos Conſules & Imperatores, CATONEM, POMPEJUM, Philoſophos veteres, ut PLINIUM aliosque, ſuperiori ſeculo Equites & Cancellarii Angliæ, ut BACO de VERULAMIO, qui inter alia *Hiſtoriam vitæ & mortis*, & *Kenelmus* DIGBÆUS, qui varia ſcripta medica, phyſiologica, botanica, chemica, chirurgica & practica edidit, & tamen Medici non fuerunt. Ita jam ante hos *Henricus RANZOVIUS*, eques Holſatus, & Regis Daniæ tunc in Holſatia Præfectus, librum egregium de *conſervanda valetudine* conſcripſit, Francof. 1591. editum: quod & celebris ille nobilis Venetus CORNARUS ſive *Cornelius* fecit, libello de *ſobrietate*, *ejusque utilitate*. Silentio nunc prætereo, brevitatis cauſa, quamplures alios, qui licet Medici non fuerunt, rem medicam tamen ſcriptis ſuis anatomicis, botanicis, chemicis, theoreticis & practicis illuſtrarunt, exornarunt. Ita, ut inde ſatis pateat, eo nondum probatum eſſe, quod aliquis revera fuerit Medicus, quando medicum aliquod ſcriptum ediderit. Ipſi igitur ejusque cenſoribus & amicis magis credendum erit, quid fuerit & quid non fuerit, quam aliis & quidem inimicis.

VIII.

VIII. Ut autem in viam rurſus redeamus, imperfectam etiam hanc GRAMONDI relationem eſſe, inde quoque patet, quod non addiderit, eum *Juris* etiam *utriusque Doctorem* fuiſſe, qualem ſe tamen in titulis librorum ſuorum aperte profitetur, quos GRAMONDUS vel ob odium in VANINUM, vel ob ſtultam ſuperſtitionem nec vidiſſe, nec legiſſe, ſaltem non intellexiſſe videtur; alias verum ipſius nomen ſciviſſet, atque aliter de ipſo & quidem verius ſcripſiſſet aut ſcribere potuiſſet; ſed cœco tantum impetu, quicquid odium aut inimicitia ipſi ſuppeditavit, ſine probatione de VANINO ſcripſit. Nam quod huic inimiciſſimus fuerit, & odio in ipſum flagraverit, vel ex eo ſatis conſtat, dum, ut ipſe in principio hiſtoriæ VANINI pag. m. 210. ſcribit, *apud pleroſque pro hæreſiarcha habitus; mihi* (ſcilicet GRAMONDO) *pro ATHEO: neque enim hæreſiarcha, qui Deum* negat. Verum poſterius hoc GRAMONDUS non probavit, ſed tantum dixit. Dum igitur alii & quidem, ut ipſe ait, PLERIQUE eum tantum hæreſeos reum habuerunt, hic vero illum tam facile pro ATHEO declarat, & quidem ſine ulla addita probatione, quam manifeſtiſſime patet, ipſum a partium ſtudio non fuiſſe liberum, atque vel ex vehementi odio aut inimicitia, vel ſtolida quadam ſuperſtitione ita ſenſiſſe ac ſtatuiſſe

Gramondus inimicus Vanini.

IX. Præterea judicatu facile eſt, ipſum ſine partium ſtudio de VANINO non ſcripſiſſe; quia tribunalis Toluſani (Toulouſe in Gallia) a quo

VANINUS condemnatus eſt, Præſes adeoque & judex fuit: atque a viro fide digniſſimo nuper adhuc percepi, ex indubitatis documentis, quæ alio tempore lucem videbunt, probari uberius poſſe, illum in hac cauſa non legitime proceſſiſſe, & ex privata cauſa & inimicitia VANINI hoſtem infenſiſſimum fuiſſe, adeoque omnis generis convicia & mala in ipſum effudiſſe, quæ mens pravis affectibus occupata inſpirare ſolet. Interea donec hæc appareant, GRAMONDUM hominem fuiſſe *mente debilem*, *ſuperſtitioſum*, *falſarium inſignem*, *adulatorem* &c. Doctiſſimus *Guido* PATINUS, qui ſæpe verſatus eſt cum GRAMONDO, qui & ipſe Gallus & religioni catholicæ addictus fuit, nos certiores fecit, (*a*) adeo-

(*a*) Lettres choiſies de Mr. *Patin* Edit. Pariſ. An. 1685. epiſt. 54. Verba ejus ita ſe habent. J'ay l'Hiſtoire de Mr. de *Gramond* Preſident de Toulouſe, dont vous me parlez. Je l'ai ſouvent entretenu pendant qu'il étoit en cette Ville. C'étoit un bon vieillard, mais *d'une ame foible & bigotte.* Il ſe faiſoit de fête pour obtenir des memoires & pouſſer ſon hiſtoire juſqu'à la mort du feu Roi: mais le Cardinal *Mazarin* ne lui a pas voulu donner cet emploi. Il eſt mort depuis peu a Toulouſe. Son Livre eſt peu de choſe & infinement au des ſous de l'Hiſtoire du Preſident de Thou. Il eſt *rempli de fauſſetes* & *de flateries indignes* d'un homme d'honneur. Quand il fut achevé d'imprimer, & prêt d'être mis en vente, Mr. de *Gramond* fit refaire 15. demi feuilles pour y flater plus fortement le Cardinal de *Richelieu* qui étoit alors au plus haut point de ſa faveur. Ce bon homme crût, qu'il avoit point de termes aſſez forts pour le louër; mais il n'y gagna rien, car le Cardinal vint à mourir.

adeoque parum, præſertim in re adeo gravi, ceteris GRAMONDI accuſationibus & criminationibus fides haberi poterit.

X. Multas VANINUS, ut aliquid adhuc de ejus vitæ curriculo adjiciamus, ſtudiorum gratia luſtravit regiones, Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Belgium peragravit ac denique etiam in Galliam ſe contulit. Cum vero aliquamdiu ibi degiſſet & ſcripta quædam cum approbatione cenſorum & doctorum applauſu edidiſſet, pervenit tandem, quia ARISTOTELIS, & ſcholaſticorum errores caſtigare ſtuduit, in Monachorum aliorumque ſuperſtitioſorum odium & invidiam: quippe qui vel privatæ utilitatis gratia, vel ne qui ipſis doctiores haberentur, rudes & imperitos omnes alios eſſe cupiebant. Scholaſticorum Doctores, ARISTOTELIS aſſeclas, ſæpe confutavit, & interdum acerrime, ipſis etiam Clericis non parcendo, perſtrinxit, id quod tunc temporis pro piaculo habebatur. Novas in Philoſophia detexit veritates, & jam inventas novis illuſtrare ac comprobare argumentis ſtuduit, quæ, *quo a vulgo & receptis Monachorum ſcholarumque ſententiis remotiora, eo propinquiora erant calumniæ, & atheiſmi crimini fere æqualia habebantur.* Subtile & perſpicax ingenium ejus, (ne quid diſſimulem) comitabantur ſingularis animi elatio, jactantia & vehementiſſima in quosvis adverſarios mordacitas.

Cauſa odii in Vaninum.

XI. Primum inter ſcripta ejus, licet cenſorum publicorum & variorum doctorum approbatione prodiret, Theologis quibusdam

G 4 ſuſpe-

ſuſpectum brevi redditum eſt, quod inſcripſit *Amphitheatrum æternæ providentiæ, divino-magicum chriſtiano-phyſicum, nec non aſtrologo-catholicum, adverſus veteres Philoſophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos & Stoicos*, *Lugduni* 1615. publicatum. Alterum, quod deinde hic in cenſum venit, ſunt *Dialogi de admirandis naturæ, reginæ deæque mortalium, arcanis*. Lutetiæ 1616. editum. Utraque hæc ſcripta, ut dictum eſt, ſuperiorum & cenſorum ſuffragiis, laudibus, & approbationibus egregie munita in lucem prodierunt. Dialogi autem mox nonnullos ita irritarunt, ut non obſtante publica approbatione, eodem adhuc anno, eodem in loco, quo excuſi erant, ob ſparſa, ut adverſarii ejus perhibebant, ſummæ impietatis ſemina, condemnarentur & flammis publice traderentur.

Libri ejus comburuntur.

Atheiſmi accuſatur.

XII. Haud ita multo poſt ejuſdem farinæ homines Toloſæ illum denuo adoriuntur, in carcerem conjiciunt & pro peſſimo Atheo, imo *pro atheorum præſide & cæſare declarant*; ſed lis ejus cum ageretur coram ſenatu Toloſano, ubi GRAMONDUS ille, quem ſupra jam infenſiſſimum & acerbiſſimum VANINI hoſtem fuiſſe probavimus, præſes erat, *rogatus de Deo quid ſentiat?* teſte ipſo hoc GRAMONDO reſpondebat: *Coli ſibi in Trinitate unum, qualem adorat eccleſia orthodoxa. Deum plane convincere naturam ipſam.* Hæc cum diceret, fortuitam e terra paleam legit, manuque ad judices protenſa, *Hæc*, inquit, *jubet, ut credam Deum eſſe: dein ad providentiam*

Se in ſenatu defendit.

pro-

prolabi, ut jactum in terram ſemen, ut elanguiſſe viſum & mori, ut ex putrefacto albeſcit, ut viret & naſcitur, ut ſenſim creſcit, ut adoleſcit rore matutino, ut luxuriat infuſa largius deſuper aqua, ut in ariſtas armatur, prohibendis per ſpicula avibus, ut in ſtipulam erigitur & frondeſcit, ut flaveſcit provectius, demiſſoque ut ſupercilio languet, donec moritur: ut poſtmodum trituatur, ſeparatoque ut a palea fructu, grano homines, palea vivunt animantes uſui hominum debitæ; unde concludebat, *Deum eſſe naturæ autorem.* Quod ſi id totum *fieri a natura objicitur*, regrediebatur ab hoc grano ad proxime antecedens in hunc modum: *Si id ſeminis natura produxit, quis immediate proximum? ſi & illi debita a natura proceſſio, quis antecedens? donec ad primum veniret, quod neceſſarium eſt fuiſſe creatum, cum non eſſet, a quo produceretur*; *naturam creationis incapacem eſſe, probabat multis*; *Ergo Deus eſt creator omnium.* Vid. GRAMONDUS l. c. (*a*)

XIII. Hæc tamen omnia duras perſecutorum & judicum ipſius commovere mentes non poterant; damnabatur ob imputatum atheiſmi crimen capitis, licet, ut ex his patet, *Non auditus comburitur.*

(*a*) Profecto haud ſine peculiari divina providentia factum eſſe arbitror, quod *Vanini* verba in judicio pro Dei exiſtentia prolata, ab ipſo *Gramondo* memoriæ prodita fuerint; ut nimirum ex his pii & prudentes ſemper ſententiam veram & chriſtianam *Vanini* de Deo & natura, ac ſimul ſic innocentiam *Vanini*, quod ſcilicet atheus non fuerit, perſpicue cognoſcere queant.

tet, neque convictus neque confeſſus erat, & crudeli modo, exſecta prius lingua, lento igne, incredibili cruciatu, vivus comburebatur, ciniſque concremati corporis in aërem diſperſus eſt. Anno 1619. (*a*)

Accuſationes ejus perpenduntur.

XIV. Perpendamus vero nunc breviter cauſas, vim & robur præcipuorum fundamentorum, quibus innixi hoſtes & perſecutores VANINI atheum illum imo *præſidem & cæſarem atheorum* appellitarunt, accuſarunt & adeo crudeli ſupplicio affecerunt. Prætermittimus vero, quæ GRAMONDUS forte magis ex odio quam vero perhibet, quod ſacra in irriſum verterit, Chriſti humanitatem execratus ſit, atque alia, quæ ipſi magis tanquam hæretico, quam atheo objiciuntur.

Inprimis quod Deum ſe ignorare dixerit.

XV. Sed 1. Primum obtineat locum accuſatio GRAMONDI ſequens: VANINUM *ignoraſſe Deum.* Hanc accuſationem ſæpius jam laudatus ARPIUS tanti æſtimavit, ut credide-

(*a*) Conf. uberius, cui lubet, de iniquo hoc procedendi modo Auctor apologiæ pro *Vanino*, item *Gramondus* loco citato, qui vero miſerum ac infeliciſſimum *Vaninum* ridet, & turpiter perſtringit, quod in loco ſupplicii linguam exſcindendam non ultro & lubens carnifici porrexerit, & quod inter comburendum miſere ejulaverit; cum tamen ſanctiſſimus Servator in cruce magna quoque voce, teſtibus Evangeliſtis, clamaverit. Sed ſi iniquus hic *Gramondus* enormes hos cruciatus loco *Vanini* perferre debuiſſet, ſuavius ipſum, præſertim exſecta lingua, non ceciniſſe perſuaſus ſum. Cetero quæ de Vanino convicia & accuſationes protulit, partim ob *Patini* teſtimonium contra ipſum ſupra relatum, partim ob mox dicenda fidem merentur nullam, & pro calumniis reputanda eſſe puto.

diderit, ſi illam GRAMONDUS *probaſſet, omnem in caſſum rediturum fore defendendi laborem.* Mihi autem illa, quod pace præſtantiſſimi ceterum defenſoris dictum velim, tanti ponderis neutiquam, ſed vana prorſus & nullius momenti eſſe videtur, id quod docti & a partium ſtudio liberi facile, ut ſpero, ex mox dicendis agnoſcent. Probare quidem illam facili negotio GRAMONDUM ipſis VANINI ſcriptis, ſi illa legiſſet, potuiſſe, cenſeo, id quod nullo modo fieri poſſe doctiſſimus ARPIUS autumat, atque cum illud, quod objecit, haud probaverit, ipſemet hoc ejus loco perſpicue nunc probaturus ſum; quando enim VANINUS ait: *Deum nemo novit, nec ſcit, quid ſit, niſi ipſemet Deus,* (*a*) diſertis profitetur verbis, *ſe Deum ignorare*: ſed quid inde mali? Propterea ſane non omnis in caſſum redibit defendendi labor. Nunc enim quæritur, num propter hanc quam ſapientiſſimam ignorantiæ confesſionem atheorum cohorti ſit aggregandus? hoc autem nego atque pernego: ſupra enim oſtenſum eſt, illos unice atheiſmi reos eſſe agendos, qui *Numinis ſupremi exiſtentiam negant aut abnuunt.* Qui autem candide fatentur, ſe Deum ignorare, ejus naturam & eſſentiam non intelligere, his ſumma infertur injuria, ſi atheiſmi accuſantur, aut iis imputatur, eos Deum abnuere: ſiquidem *inter negationem atque ignorantiam*, maxima intercedit

(*a*) Vid. Amphitheat. provident. divinæ exercitat. 1.

dit differentia. *Multa profecto ignoramus, quæ non negamus.* Quid ſol proprie ſit, quid aſtra, quid aër ſit, ignorant plerique, nullus autem tam demens, tam ſtolidus eſt, ut propterea ea negare velit. *Ipſius animæ noſtræ veram naturam atque indolem* in hunc uſque diem ignoramus & nemo ſatis intelligit, animam autem nobis ineſſe ex actionibus, quas tam manifeſte exerit, quis dubitat?

XVI. Porro, ſi omnes pro atheis declarare velimus, qui confitentur, *ſe Deum ignorare*, nullus profecto mortalium ab iſto crimine liber erit pronunciandus; & ipſe GRAMONDUS cum ſuis ſociis aut Collegis dubio procul in atheorum caterva tunc primas tenebit. Quis enim gloriari poteſt, ſeſe, *quid Deus ſit*, *ſcire*, *noſſe*, vel rite cognitum habere atque perſpectum? ſapientiſſimi omnes hic ſuam confiteri coguntur ignorantiam; & CICERO elegantiſſime ſcribit: *Optimus & graviſſimus quisque confitetur, multa ſe ignorare.* Tuſcul. quæſt. 3.

Quid Deus ſit, diſputatur. XVII. Paucis ab hinc annis Poëta quidam Gallus præſtantiſſimus (*a*) omnium optime *quæſtionem, quid ſit Deus?* eleganti epigrammate ſolviſſe credebatur, qui ad eam ſequentem in modum verſibus Gallicis reſpondendo declaravit, ſeſe illud ignorare ſive neſcire:

Loin de rien dire de cet etre ſupreme,
Gardons en adorant un ſilence profond,

C'eſt

(*a*) Cui, ni fallor, La *Motte* erat nomen.

C'eſt un etre immenſe, & l'eſprit s'y confond,
Pour dire ce qu'il eſt, il faut etre lui-même.

Præcipuum hujus elegantiſſimi epigrammatis acumen ipſius VANINI verbis paulo ante adductis latine reddi poteſt: *pour dire ce qu'il eſt, il faut être lui même.* l. c. *Deum nemo novit, neque ſcit, quid ſit, niſi ipſemet Deus.* Unum idemque ergo recens Poëta dixit, quod VANINUS olim affirmaverat, eodem modo confeſſus eſt, *ſe ignorare Deum*, quo ille ignoraverat. Sed duo cum fecerint idem, hic non fuit idem. In Poëta hoc ingenium, hoc acumen, hæc ſententia, hæc veritatis genuina confeſſio ab omnibus ſuſpiciebatur, mirisque efferebatur encomiis, imo, ni fallor, magnis compenſabatur præmiis. In VANINO autem, a quo forſitan Poëta illud acumen didicerat, pro crimine atheiſmi venditabatur, capitis damnabatur, atque atrociſſimo trucidabatur ſupplicio.

XVIII. Poteſt quidem, fateor, vocabulum *ignorare* in ſiniſtram partem ab iniquis & malevolis accipi & per *negare* & *non agnoſcere* explicari; ſed ubi accuſatus ſive reus dubiam ſententiam exponit atque aliter explicat, quam accuſans, iniqui imo iniquiſſimi ſunt illi judices, qui alium & malum ſenſum ejus verbis affingere volunt, ut miſerum hominem capite plectant. CICERO, licet Chriſtianus non fuerit, hoc *malitioſam juris* (addo & verborum) *interpretationem* appellat. (a) Aequi vero &

Ignorare quid ſignificet.

(a) Lib. I. officiorum c. 10.

& Chriſtiani judices mitiorem in ejusmodi caſibus ſemper ſequuntur ſenſum ſive explicationem & ſtatuunt, *melius eſſe decem nocentes abſolvere, quam unum innocentem*, qualem VANINUM hac in re eſſe judico, condemnare; cum *facilius ſit coram Deo de lenitate & miſericordia, quam de crudelitate reſpondere.*

XIX. Sed patet ex hoc triſtiſſimo exemplo, quid fieri queat, & quam periculoſa res ſit, præſertim in religionis materia, maxime in locis, ubi religionis errores, capite plectuntur, quando malevoli, inimici aut perſecutores ſenſum verborum alicujus bonum diſtorquere & corrumpere volunt, & quomodo hoc acerbiſſimam mortem ſæpe poſt ſe trahere poteſt. Alias pro vero habetur, *quemlibet verborum ſuorum optimum eſſe interpretem*, atque apud æquos rerum arbitros haud licet, ut alius alium, & quidem contrarium imo lethiferum, ſenſum inde in damnum alterius eruat. Sed hoc judices VANINI, inter quos Præſes fuit GRAMONDUS, fecerunt. Ergo hinc eorum inimicitia in VANINUM uberius conſtat. Et cum verum ſenſum verborum ſuorum ac mentem ſuam ipſis etiam *exemplo paleæ*, forte fortuna obviæ, ut ſupra jam dictum eſt, & ut ipſe GRAMONDUS refert, (*a*) in ipſo judicio & ſenatu explicare vellet, atque hoc etiam tanto verborum pondere, tamque validis argumentis, ut ingenium humanum

(*a*) In Hiſtor. ſua Galliæ, loco ſæpe citato.

num vix validiora pro Dei exiſtentia atque providentia demonſtranda excogitaverit, aut excogitare forte poterit, præſtitiſſet, & inde demonſtraſſet, *Deum eſſe creatorem omnium*, tamen ex pravo animi affectu hæc rejecerunt, atque temere, ut infra uberius mox demonſtrabimus, perhibuerunt, eum hæc tantum (verba ſunt GRAMONDI) *in oſtentationem doctrinæ, aut metu magis, quam ex conſcientia dixiſſe*, atque ex hac conjectura ſive mala præſumtione in re tam ardua, ubi non de corio tantum humano, ſed de capite & vita ludebatur, & ubi non conjecturis, ſed certis, & manifeſtis demonſtrationibus agendum judicandumque eſt, doctiſſimum hunc virum, ut peſſimum atheum damnant, & miſerabili mortis genere interimunt, quo vix durius eſſe poteſt. Si enim hoc modo indicare liceret, quilibet facile pro atheo venditari & ab inimicis e medio tolli poſſet.

XX. Unicum quidem, quendam FRANCONUM nomine, produxit teſtem GRAMONDUS, qui in judicio, ut ait, affirmavit, *negatum ſibi a LUCILIO*, (ita appellat ſine ratione infelicem VANINUM) *perſæpe Deum eſſe*. (*a*) Sed profecto in re tanti momenti, ubi de *Quid de unico teſte ſit ſentiendum.*

(*a*) Ex ignorantia veri & uſitati nominis *Vanini* magnum indicium de temeritate & negligentia *Gramondi* peti poteſt, & quidem ſpeciatim, quod libros *Vanini* una cum *Vanino* condemnat, licet eos ex ſuperſtitione nunquam legerit aut forte etiam non viderit: Nam alias vero nomine ipſum appellaſſet, quod ejus libris inſcriptum eſt; aut rationem addidiſſet, quare pro *Julio Cæſare*

de vita hominis & quidem doctiſſimi diſceptabatur, profecto *unus non ſufficit teſtis*, & uni in judicio non eſt fidendum, qui ſubornatus, aut pretio conductus eſſe potuit ab inimicis ejus, aut forte ipſo GRAMONDO, aut illud ex privato odio & inimicitia facere potuit, præſertim cum VANINUS contrarium prorſus ſcriptis publicis antea ſatis probaſſet, & ore etiam poſtea in ſenatu ipſo maſcule eviciſſet. Profecto, ſi tam impia docuiſſet, eum quamplurimos habuerit auditores ac diſcipulos, qui ejus doctrinam avide audiverunt, ut GRAMONDUS ipſe indicat, plures ſine dubio teſtes facile inveniri ac produci potuiſſent. Quia vero nonniſi unicum invenerunt & allegarunt, res omnino falſa & illegitime acta mihi videtur.

Quomodo Deum ignoraverit Vaninus, oſtenditur.

XXI. Ut vero luculentius adhuc appareat, hancce VANINI *ignorantiæ confeſſionem genuinam* omni carere oſtentationis, metus, ſimulationis, malitiæ aut improbitatis labe, qua GRAMONDUS ipſum commaculare ſtuduit, videamus, *qua ratione Deum ignoraverit*. Ex ſequentibus hoc ejus intelligi poterit ſapientiſſimis, piis ac divinis fere verbis. *Quæris*, inquit, *a me, quid Deus ſit? ſi ſcirem, Deus eſſem, nam Deum nemo novit nec ſcit, quid ſit, niſi ipſemet Deus: poſſumus tamen*

ſare ipſum *Lucilium* nominaverit. Ita librum ejus, de *Arcanis naturæ* in quo multa divina continentur, *librum infamem* appellat; non aliam ob cauſam, quam quod *naturam deam* appellaverit. Qua vero de re inferius plura.

men quaſi per nubem ſolis lumen, quid ipſe, per ejus opera aliquantulum cognoſcere, quare ſic eum (licet temere fortaſſis) deſcribere audet dextera noſtra. Sui ipſius principium & finis, utriusque carens, neutrius egens, utriusque parens atque auctor ſemper eſt ſine fine, cui præteritum non abit, nec ſubit futurum: regnat ubique ſine loco, immobilis absque ſtatu, pernix ſine motu, extra omnia, omnis intra omnia, ſed non includitur in ipſis, intimus hæc regit, extimus creavit, bonus ſine qualitate, ſine quantitate, magnus, totus ſine partibus, immutabilis, dum cetera immutat, cujus velle potentia, cui opus voluntas ſimplex eſt, in quo nihil in potentia, ſed in actu omnia, imo, ipſe purus, primus, medius, & ultimus actus. Denique eſt omnia ante omnia, & poſt omnia omnis. Vid. Exercit. II. Amphitheatr. ſui ſæpius laudati; (qui liber forte inique a multis ſupprimitur; quia tam ſublimes, doctas & pias, de Deo meditationes continet.) Docta ſane, atque laudanda fuit pia hæc VANINI ignorantiæ confeſſio, neque malitioſam, neque perverſam mentem, neque atheum indicat, ſed animum ſuam miſeriam Deique magnitudinem, ſuam imbecillitatem Deique immenſam potentiam debita ſubmiſſione agnoſcentem luculentiſſime manifeſtat.

XXII. Quanta ergo Tibi, VANINE, illata eſt injuria? melius, profecto, Deum ſciviſti, cognoviſti, quam qui te Deum abnuere malitioſe accuſarunt & injuſte condemnarunt; attamen meliorem ad quæſtionem, *quid Deus* *Melius Deum cognovit, quam adverſarii.*

H *ſit,*

ſit, reſponſionem non dederunt. Profecto, pro thraſonibus, impoſtoribus & mendacibus illi habendi ſunt, qui gloriantur aut perhibent, ſe illud noſſe, quod VANINUS, explicato ſuorum verborum ſenſu, ſe ignoraſſe faſſus eſt; velimque ſcire, quid illi reſpondebunt, qui, *quid Deus ſit*, ſe ignorare fateri nolunt; cum ſapientiſſimi hodie omnes, cum VANINO & Poëta illo Gallo præſtantiſſimo, nos illud ignorare lubentes profiteantur. Et qui putant, ſe hoc ſcire, illi miſere ſe fallunt, & forte ex ſuperbia vel ſimplicitate mentis aliquid ſcire exiſtimant, quod tamen revera ignorant.

XXIII. Ergo VANINI ignorantia in hoc argumento potius approbanda, quam vituperanda, multo minus tam vehementer & crudeliter punienda, quam hic factum eſt; quod vero forte factum etiam non eſſet, quia Chriſtianæ manſuetudini repugnat, niſi GRAMONDUS peculiari quodam odio aut inimicitia erga ipſum flagraſſet, ut ex ſupra dictis jam patere exiſtimo.

Aliæ objectiones.

XXIV. II. Alterum momentum, quo atheiſmi convincere VANINUM perſecutores, inimici ſive adverſarii nonnulli ſtudent, illud eſt: *Retulit*, ajunt, *atheorum dubia, iisdemque ſegniter reſpondit, & multa omiſit argumenta pro exiſtentia ſummi Numinis pugnantia, adeoque revera corroborare potius, quam refutare eorum impietatem illum eſſe molitum autumant.* Conf. MERSENNUS in

Geneſ.

Geneſ. p. 671. itemque VOETIUS & BUDDEUS de atheiſmo.

XXV. Ad hoc reſpondeo : (α) *Retulit omnino atheorum objectiones*, imo urgebat easdem, facile id largior. Propterea vero non culpandus, potius probandus mihi videtur. Morem imitatus eſt Jureconſultorum, qui rationes dubitandi, rationibus decidendi ſemper jungere, imo præmittere ſolent, ut hoc ipſo evidentior reddatur illorum ſententia. Et ſicuti miles vincere aut triumphare haud poterit, niſi ante cum hoſte fuerit congreſſus, ſic etiam cum atheis decertans, victoriam nunquam erit reportaturus, niſi prius eorum argumenta ſuis oppoſuerit rationibus, & deinceps comparatione inſtituta horum robur, illorum debilitatem; horum evidentiam, illorum dementiam commonſtraverit.

XXVI. (β) *Ad nonnulla dubia ſegniter nimis reſpondit*, perhibent adverſarii. Neque hanc ob cauſam, ſi modo res rite perpendatur, vituperandum illum eſſe putamus. Adeo abſona, levia, ſtolida & inſulſa nonnulla atheorum argumenta eſſe ſolent, ut per ſe corruant, atque is prorſus contra ſapientis officium ageret, oleumque & operam perderet, qui adeo manifeſte falſa, inepta ac levia, atque tam ſæpe jam ab aliis refutata, diu inſectari & longa probationum ſerie confutare vellet, ut verbi cauſa, *Deum non eſſe, quia videri non poſſit*; *Deum non eſſe, quia eum comprehendere non poſſimus*, & quæ ſunt alia hujus farinæ.

XXVII. (γ) *Omiſit*, dicunt, *etiam argumenta ab aliis auctoribus, contra atheos pugnantibus, in medium allata.* Neque hoc diſſimulandum eſt. Fecit id, vel quia ea debilia nimis & infirma judicavit, vel quia trita ſatis atque cognita illa credidit & cramben bis imo centies coctum lectoribus proponere noluit. *Placuit enim ipſi tantum nova eaque ſelectiora, aut fortiora argumenta ſeligere*, (*a*) ut doctus & cordatus lector poſſit æſtimare, an aliquid ad ea athei reſpondere valeant. Suum præterea erat propoſitum, ut ipſe ait, (*b*) *enucleare divinæ providentiæ (cui nos & omnia noſtra ſubjecta ſunt) myſteria, non ex obſoletis quidem illis Tullianis declamationibus, neque ex popularibus illis & anilibus fere Platonicis deliriis, neque etiam ex putridis ſcholaſticorum quiſquiliis, ſed ex abditiſſimis hauſta Philoſophiæ fontibus.*

XXVIII. Denique juxta regulas artis demonſtrandi *non copia & ferrago rationum, ſed harum ſoliditas atque pondus* omnem movent lapidem. Cur ergo a VANINO cum atheis dimicante exigere volunt ſcholaſtici, malevoli aut adverſarii, ut cunctas ab aliis excogitatas prolatasque rationes nauſeoſe repetat, illisque opponat. Me quidem judice ſuo ſatisfecit officio, ſi ad Dei exiſtentiam commonſtrandam vel unicum tantum argumentum, aſt grave, ſolidum & haud vacillante ſuper-ſtru-

(*a*) Vid. Amphith. ejus exercit. VIII.
(*b*) Vid. dedicat. Amphith.

ſtructum fundamento adhibuit: (*a*) atque illum hoc præſtitiſſe, patet ex Dei demonſtratione in Amphitheatro tradita, (*b*) quam nunc proponemus: *Omne ens*, inquit, *aut æternum, aut temporarium, ſi in tempore, ergo habuit initium; non potuit igitur ſe ipſum producere, fuiſſet enim antequam eſſet. Cumque entium exordium perſpiciamus, oportet concedere ens æternum, a quo ducant originem, alias non eſſet æternum ens, ſed aliquando inchoatum, & ſic nihil eſſet, atqui nihil eſſe impoſſibile eſt. Ens igitur æternum eſſe neceſſarium eſt.* Eandem ratiocinationem paulo poſt ſyllogiſmo comprehendit, & dilucidiorem reddere ſtuduit, quando ait: *Omnis exiſtentia entis initiati neceſſario, ex probatis, ſupponit ens æternum; ſed ens principatum eſt; ergo & de neceſſitate ens æternum; hoc autem communi vocabulo DEUM dicimus.* v. Amphith. Exercitat. 1.

Demonſtratio Dei Vaniniana.

XXIX. Hanc ratiocinationem plerique ſapientum hodie tanti momenti, tanti ponderis eſſe putant, ut nullam evidentiorem in hunc usque diem excogitatam eſſe, uno quaſi ore profiteantur. (*c*) Ipſa argumentatio, qua ſola,

 ut

(*a*) Celeberrimus *Wolfius*, princeps Philoſophorum noſtri ævi, hoc ipſum unico etiam tantum ratiocinio evincere ſolet in Metaph. Part. I. c. 6.

(*b*) Exercitat. I. & ſupra jam adductis.

(*c*) Quo jure igitur ejusmodi demonſtrationem *elumbem* & *nugatoriam* Cel. *Buddeus* theſ. de atheiſmo c. 1. §. 24. p. m. 125. & cap. 11. §. 9. pag. 235. dixerit, aliorum relinquam judiciis. Mihi revera fortiſſimum, ac præſtantiſſimum videtur argumentum, velimque ut fortius demonſtrent aut producant, qui aliter ſentiunt.

ut ante diximus, ſummi Numinis *exiſtentiam* Ill. WOLFFIUS probare ſolet, & quæ a mundi exiſtentis ſive præſentis contingentia deſumta eſt, & quæ invincibilis prorſus creditur, ab hac revera parum abludit. Quamdiu ergo hic atheiſmi convinci haud poterit, tamdiu etiam ille ab eodem crimine immunis erit.

XXX. Atque hæc omnium optime manifeſtant VANINUM, doctiſſimum & ſubtiliſſimum Philoſophum, *atheum non fuiſſe.* Si enim aliquando tantum dixiſſet, exiſtit Deus, eo ipſo ſane ab hac impietate neutiquam ſeſe ſatis abundeque purgaſſet; quia illius nequitiæ profeſſores ore quidem Deum quandoque admittunt, ſed animo tollunt. Cum vero tanta mentis perſpicacia, tanta evidentia, uti nunc vidimus, ſcriptis publicis diu antea, dari ſupremum Numen, commonſtraverit, fieri aliter haud poteſt, quin firmiter perſuaſi ſimus & credamus, quod is ad profitendam Entis perfectiſſimi exiſtentiam *non metu inani*, ut GRAMONDUS calumniatus eſt, *non ſimulata pietate, ſed conſcientia de meliori prorſus convicta* impulſus fuerit. Nam hæc extra carcerem, cum liber adhuc eſſet, ſcripſit & docuit, ubi libere, ut Philoſophum decet, ſuam dixit ſententiam. Hinc GRAMONDUS male & inepte ait, quod in judicio ea *metu VANINUS* pronunciaverit: ſi enim ita ſentire & judicare liceret, quilibet pro atheo facile declarari poſſet.

An Deum & natu- XXXI. III. *Naturam & Deum unum idemque*

que ipſi fuiſſe, nonnulli cavillantur, ut GRAMONDUS Hiſt. Gall. loco ſæpe citato, ROSSETUS hiſtoire tragique, & SPIZELIUS de atheiſmo eradicando, & ſpeciatim hoc GRAMONDUS pro ſummo ipſius crimine, poſt illud, quod Deum ignorabat, reputat, dicendo, *naturam pro matre optima & omnium auctrice adorabat, quem errorem, ut ex multis unum referam Toloſæ, in loco ſancto, pervicaciter profitebatur.* Sed hi viri ignorare videntur multiplicem ac diverſiſſimam vocabuli naturæ uſum atque ſignificationem, alioque illud ſenſu utuntur, quam VANINUS, atque ſic aut ex ignorantia eum non intelligunt, aut ex præjudicata opinione intelligere nolunt. Novi quidem illud ſæpe uſurpari pro Mechaniſmo, ſive vi quadam in mundo aut ſpecialibus etiam corporibus à Deo ipſis conceſſa, intellectu haud prædita, qua certas actiones ordinatas perficiunt, quæ vis ſive Mechaniſmus revera à Deo magnopere differt, atque pro gravi crimine ipſe reputo, ſi quis Deum cum hac vi ſive Mechaniſmo confundere & pro una eademque re haberi velit. Atque in hoc ſimilive alio ſenſu vocabulum naturæ a VANINO hic uſurpari, hi viri, ni fallor, volunt, dicunt, calumniantur; licet etiam quam frequentiſſime a CICERONE aliisque optimis ſcriptoribus, ut infra demonſtrabo, *pro ipſo Deo ſumatur* atque uſurpetur, quamvis nemo propterea CICERONEM atheum facere auſus ſit, aut forte unquam cogitaverit.

ram unum idemque crediderit.

XXXII. Hanc igitur adverſariorum calum-

niam omnia illa loca ſtatim enervant & confutant, in quibus *Deo intellectum*, *imo ſummam ſapientiam*, *potentiam*, *voluntatem agendique libertatem* adſcribit, quæ attributa in vim corporum ſive Mechaniſmum, ſi hunc ſemper naturæ nomine intellexiſſet, ens mere corporeum, neceſſario agens, ratione & libertate deſtitutum, neutiquam cadunt. Præterea etiam docuit, ſe credere, dari ens aliquod *ſupra naturam conſtitutum*: id docent ſequentia de oraculis verba: *Neque oracula naturaliter eſſe quiſpiam auſit aſſeverare, cum naturæ longe excedant vires: ab aliqua ergo ſubſtantia ſupernaturali prædita facultate, cujus permiſſu illa edita fuerunt, ſint, neceſſum eſt.* Vid. Amphitheat. exerc. VI. Quicunque vero naturam infra alterius entis poteſtatem conſtitutam eſſe credit, *naturam hoc ſenſu pro Deo habere nullo modo poteſt*; Deus enim ſupra omnia eſt, (a) & ſupra Deum nihil eſt. Repetenda quoque hic eſt integra illa oratio VANINI, coram ſenatu Toluſano pro exiſtentia Dei ex palea demonſtranda, ſupra relata; ubi non tantum *Deum naturæ* (intelligit hic corpora creata) *auctorem eſſe*, diſertis verbis affirmavit, ſed illud etiam validiſſimis comprobavit rationibus.

Certo ſenſu negatur.

XXXIII. Igitur clariſſime patet, VANINUM *naturam* (eo ſcilicet ſenſu, quo pro Mechaniſmo, vi corporum, aut rebus creatis ipſis

Alio ſenſu id affirmatur, & quidem recte.

(a) Juxta ipſius VANINI effatum, affirmantis: *Providentiæ divinæ nos & noſtra omnia ſubjecta ſunt*, Vid. Amphith. dedicat.

ipſis ſæpe ſumitur) *pro ſummo Numine neutiquam habuiſſe.* Interea non inficiamur, quod illud aliquando fecerit, tribuendo autem Naturæ vocabulo cum CICERONE (*a*) & aliis antiquis bonis ſcriptoribus *aliam* & ab hac *toto cœlo differentem ſignificationem*, atque *per Naturam* tunc non mundum & Mechaniſmum hujus univerſi, aut aliorum corporum creatorum, *ſed verum Deum*, *mundi*, rerum creatarum, & Mechaniſmi Auctorem atque Conditorem ſapientiſſimum, intellexerit; quo ſenſu etiam vox Naturæ, præter CICERONEM a multis piis & doctis Philoſophis, imo & Theologis ſæpenumero & ſine ulla atheiſmi ſuſpicione uſurpata eſt, & adhuc uſurpari ſolet. Ex multis unum tantum adducam teſtem, & quidem quoque Italum, ſed Medicum & Profeſſorem Toluſanum, *Franciſcum* nimirum BAYLE ſive *Baelium*, qui in inſtitutionibus ſuis phyſicis, Toloſæ, ea ipſa nimirum urbe, qua VANINUM combuſſerunt, Anno 1700. in 4. & Abbati BIGNONIO, Academiæ Regiæ ſcientiarum Præſidi in Gallia dicatis, pag. 1. ita ſcribit: „ Nomine naturæ" *ſignificatur primo* mens divina, quæ eſt re-" rum omnium opifex. Juxta hunc acceptio-" nem SENECA lib. 4. de officiis dicit, *natu-*" *ram nihil aliud eſſe, quam Deum.* Hanc au-" tem aliqui Philoſophi appellant *naturam na-*" *turantem*; Divus vero AUGUSTINUS Na-" turam *creatricem*. Lib. XV. de Trinit. cap. I."

Quod probatur cum primis ex Cicerone.

Et Franciſco Bayle, Medico Toluſano.

H 5 ubi

(*a*) Conf. *Nizolii* Theſaur. Ciceron. vocab. Naturæ.

"ubi dicit, (ut Vaninus) *ſupra naturam hanc* "*naturam eſſe aliam*, *non creatam*, *ſed crea-* "*tricem*, unde orta eſt diviſio naturæ in *natu-* "*rantem* ſeu creatricem & in *naturatam* ſeu "creatum &c.

XXXIV. Ex quibus patet, veriſſimum eſſe illud: *Duo cum faciunt*, imo dicunt & ſcribunt, *idem*, *non eſſe idem.* Nam Bayle idem hoc in argumento ſcripſit de natura, quod VANINUS, imo BAYLE oſtendit, divum Auguſtinum jam idem dixiſſe. Quare igitur hoc pro crimine capitis habetur in VANINO, ob quod pro Atheo proclamatus atque combuſtus eſt, quod in D. AUGUSTINO imo & poſtea in BAYLIO eodem in loco, Toloſæ nimirum, pro nullo prorſus crimine, ſed pro re prorſus licita atque innocentiſſima habetur. Ratio forte hæc eſt, AUGUSTINUS, BAYLIUS aliique qui hoc impune dixerunt, æquos & ſapientes habuerunt judices; VANINUS vero vel malitioſos vel iniquos vel ſtultos, qui, quod vocabulum naturæ ſibi velit, ignorarunt, aut ex malitia ſcire vel intelligere noluerunt.

Logomachia circa naturæ vocabulum.

XXXV. Tota igitur hæc lis ſive controverſia graviſſima, *ex logomachia ſive homonymia vocabuli naturæ* ab adverſariis non intellecta, mihi oriri videtur, dum vocabulum *naturæ* ſub valde diverſa ſignificatione uſurpatur, & modo pro vi Deo ſubordinata in mundo & corporibus, modo pro Mechaniſmo, cujus virtute certa corpora ſuas actiones perficiunt, haud raro tamen etiam, ut alias ſignificationes

nes nunc taceam, de quibus CICERO in Nizolii Theſauro, BOYLEUS, Jo. Chriſtoph. STURMIUS & SCHELHAMERUS libris de natura editis, aliique plures prolixius videri poſſunt, *pro ipſo Deo*, *omnium auctore*, parente ſive matre ſumitur. Ita, quando Phyſici, Theologi, aliique de operibus naturæ loquuntur, nihil aliud intelligitur a ſapientibus quam *Opera Dei.* Quando Medici & Anatomici de ſapientia naturæ in conſtructione corporis noſtri loquuntur, nihil profecto aliud intelligunt, quam ſapientiam Dei ſive ſupremi Conditoris. Ita & ipſis Jureconſultis haud inſolens eſt, ut *naturæ* vocabulum *pro Deo* uſurpent, quemadmodum hoc inter alias probat Celeb. CUJACIUS l.28. D. de uſuris § in pecudum, & inſt. de diviſ. rer. cum dicitur: *omnes fructus, rerum Natura hominum gratia comparavit.* Conf. SCHELHAMERUS Lib. *de Natura ſibi & Medicis vindicata.*

JCti etiam pro Deo ſumunt.

XXXVI. Cum igitur a tam multis præſtantiſſimis viris vocabulum Naturæ pro Deo ſæpe ſit uſurpatum, & quotidie adhuc a multis ſine pravo animo aut malitia ita uſurpetur, mirum, quare hic loquendi modus VANINO tam ſiniſtre interpretetur. Nam parum, mehercules, illi in ſcriptis auctorum mihi verſati videntur, qui hanc vocis naturæ ſignificationem ignorant. Nihil jam dicam de eo, quod ſcholaſtici & multi cum his, licet barbare, *Naturam naturantem*, ſine atheiſmi ſuſpicione aut crimine, Deum ſive Creatorem quam ſæpiſſime appellaverint; *naturam* vero *naturatam* res

crea-

creatas. Adeoque miror & iterum miror, quod GRAMONDUS & alii cum hoc atheiſmi crimen ex hac præſtantioribus auctoribus quam uſitatiſſima loquendi ratione vi extorquere voluerint, cum tamen nusquam ex VANINI ſcriptis probari poſſit, ipſam rem naturalem ſive creatum, aut Mechanicam pro Deo habuiſſe, contra vero ſatis, ni fallor, ex eis demonſtravi, ipſum Deum & naturam, quando pro rebus a Deo productis ſumitur, optime diſtinxiſſe, eamque ſic Deo, tanquam rerum ac naturæ auctori, ſubjectam eſſe, quam clariſſime docuiſſe. Qui plures adhuc vocabuli naturæ ſignificationes noſſe vult, ex lexicographis, NIZOLIO præſertim, FABRO, & mox laudatis ſcriptoribus eas addiſcere poterit.

Morhoſius erravit in natura Dea.

XXXVII. Interim hæc fere impedire haud potuerunt, quin ad ſiniſtram hanc opinionem de eo fovendam Doctiſſ. etiam MORHOFIUS abreptus fuerit; imprimis ſcrupulum hunc ipſi excitavit titulus dialogorum de *arcanis naturæ*, in quo natura appellatur *Dea*. *VANINI*, ait, *Dialogi illud atheiſmi virus ſub dialogorum forma tegunt, in quorum titulo diſertis verbis Natura Dea & Regina dicitur, quæ in privilegio regio (quod mirum) repetuntur.* Sed interdum bonum dormitare HOMERUM, aut præjudicatam opinionem multa facere poſſe, hæc quoque objectio MORHOFII, viri alias perſpicaciſſimi, confirmat, cum ſumme infirmo innitatur talo, atque hic quaſi oſcitans hallucinatus ſit. Quis enim, quæſo,

quæſo, ignorat, qui prima tantum litterarum rudimenta deguſtavit, res excellentes vel etiam viros celebres & inclytos *divinorum*, *Divorum*, imo *Deorum* titulis condecorari ſolere? Atque hic modus loquendi non tantum elegantioribus profanarum, verum etiam divinarum rerum ſcriptoribus uſitatus & propemodum quotidianus eſt.

XXXVIII. Ipſe MOSES, magnus ille divinorum oraculorum interpres, gentis ſuæ primates Deos ſalutavit. (*a*) Rex & Propheta Davides inquit, *Deus conſtitit in cœtu Dei, in medio Deorum* (i. e. judicum) *judicem agit*: & paulo poſt, *vos* (judices) *Dii eſtis & vos omnes filii excelſi*; (*b*) & PAULUS Apoſtolus affirmat, *Deos eſſe & Dominos multos*. (*c*) Cur non etiam docto VANINO liceat rerum naturam per metaphoram aut hyperbolen, figuras oratorum & Philoſophorum frequentiſſimas, eodem inſignire vocabulo. Nullam, profecto, in vocabulo male a MORHOFIO intellecto, aut ob præjudicatam opinionem ſiniſtre interpretato, impietatem, multo minus atheiſmum perſpicere poſſum, ad quod crimen evincendum graviores requiruntur demonſtrationes, quam metaphoricæ elocutiones.

XXXIX. IV. *Illum negaſſe mentem poſt facta ſuperſtitem fore*, *arguitur* ab adverſariis. Hic error, ſi eum erraſſet, atheiſmum quidem non evincit, attamen inſignem impietatem involvit;

An animam mortalem crediderit?

(*a*) Vid. Exod. 23. 6.
(*b*) Pſalm. 82. 1. & 6.
(*c*) 1. Corinth. 8, 5.

volvit; nam veram virtutem honeſtatem atque religionem chriſtianam omnino tollit. Quamob rem, quia & hic eum innocentem invenio, neceſſarium erit, ut hæc quoque cavillatio, quantum quidem breviter fieri poteſt, ab ipſo removeatur. Secundum MERSENNUM, referente ARPIO, (*a*) *frivole de animæ immortalitate ſenſit, & e phyſicis principiis, ſeu naturali ratione demonſtrari illam haud poſſe, affirmavit.* Concedendum eſt poſterius, ſed negandum prius. Quod enim frivole neutiquam hac de re ſenſerit, ex ſequentibus ejus verbis ingenui lectores cognoſcent: *Ingenue fateor*, inquit, (*b*) *animæ immortalitatem ex phyſicis principiis demonſtrari non poſſe, cum ſit articulus fidei. Carnis enim credimus reſurrectionem; non autem reſurget corpus ſine anima; quove modo anima erit, ſi non erit? Ego Chriſtianus nomine, cognomine Catholicus, niſi ab eccleſia, quæ veritatis eſt certiſſima & infallibilis magiſtra, edoctus eſſem, animam noſtram immortalem eſſe, vix crediderim; quod dicere non erubeſco, ſed glorior: nam adimpleo Paulinum præceptum, captivans intellectum in obſequium fidei, quæ in me validior eſt: innititur enim huic principio: Deus dixit, & in Evangelio reprehenduntur Saducæi, qui animæ immortalitatem negabant.*

XL. Objicere autem aliquis nunc poſſet, VANINUM minus ſibi conſtitiſſe, *cum hic neget*

(*a*) In Apologia pro VANINO.
(*b*) Vid. Amphith. Exerc. 27.

neget animæ immortalitatem naturali modo probari poſſe, *alibi vero* ingenioſiſſimis argumentis, ex ſolo rationis lumine depromtis, contra ejus impugnatores *acerrime illam defendat*. Sed hæc quoque objectio nullius erit momenti. Quamvis enim docuerit doctrinam de animæ immortalitate perdifficilem eſſe, in utramque partem diſputari neque apodictice ex ratione demonſtrari poſſe; totius tamen ſermonis nexus declarat, quod judicaverit, ſi comparatio argumentorum negantium cum affirmantibus inſtituatur, horum robur multo validius atque præſtantius eſſe, quam illorum ſolius rationis beneficio intelligi poſſe. Praeterea e *phyſicis principiis* animæ immortalitatem demonſtrari haud poſſe affirmavit; verum non e *metaphyſicis*, ut alias probaverat.

XLI. Ut vero luculentius appareat, quanta cum ſubtilitate ingeniique acumine hancce theſin propugnaverit, ipſa VANINI verba, quibus adverſariorum, inprimis Epicureorum objectiones enarravit, & iisdem doctiſſime reſpondit, noſtræ jamjam inſeremus tractationi, partim quia exinde VANINI innocentiam imo & ingenium penitus cognoſcamus, partim quia tanti ſunt ponderis, ut iis ipſis edoceamur, quomodo dubitationes & ſophiſmata eorum ſint repellenda, qui mentem cum corpore interituram eſſe volunt.

XLII. Objiciunt, ille inquit (*a*) 1. *Concipimur*, *naſcimur*, *vivimus* & *morimur*, *ut* *bruta*

(*a*) Amphith. exerc. 28. Conf. & Lucretius.

bruta, ergo ejuſdem ordinis dignitatiſque anima eſt in utriſque, quare ſi illorum anima mortalis eſt, & noſtra quoque. Sed reſpondet
" VANINUS, falſam eſſe conſecutionem, *con-*
" *cludit enim de corpore ad animam*, quæ duo
" plurimum a ſe invicem diſtant ; ex diver-
" ſis autem non fit illatio : corpus quidem
" humanum beluino perſimile eſt in multis,
" & ferme in omnibus, quare parem utriſque
" finem & exitum futurum credibile eſt, mor-
" tis ſcilicet & interitus. *Mente autem* ſeu in-
" tellectu æterno ſane illo, ut probavimus, *a*
" *beluis differimus* : harum namque cognitio,
" ut ſenſualis, ad unum determinatur : hinc
" aviculæ eadem ſemper forma nidum con-
" ſtruunt, noſtra vero, ut ſpiritualis, ad plu-
" ra refertur, & in unoquoque objecto diver-
" ſas advertit boni malique rationes.

XLIII. 2. Ajunt porro Epicurei : *Omnia, quæ ortà ſunt, aliquando occidant neceſſum eſt, anima aliquando orta eſt, occidat igitur oportet.* Reſpondet iterum VANINUS „ falſam eſſe
" majorem : etſi enim omnis res creata ali-
" quando poſſit interire : nam quod non ha-
" bet cauſam eſſendi a ſe ipſo, poteſt natura
" ſua non eſſe, Deus tamen eandem, quo
" minus deſinat ſeu intereat, conſervare po-
" teſt : explico, omne quod eſt, aut eſt pri-
" mum principium, aut a primo principio,
" *unum vero duntaxat primum eſt, ab eo igitur*
" *extera omnia dependeant, neceſſarium eſt* :
" ergo omnia natura ſua, excepto uno, cor-
" ruptioni ſubjecta ſunt, quamvis enim entia
ſunt

ſunt abſoluta à ſubjecto & termino, nequa-"
quam tamen ab ipſo cauſâ abſoluta ſunt:"
ſunt igitur per aliud & ab alio: at omne"
dependens, ab eo, a quo dependet, ſi eſt"
voluntarium principium, mutari poteſt, qua-"
re ipſæ quoque mentes immateriales, & ſi"
ponuntur a peripateticis coævæ & coæter-"
næ Deo, prout tamen a primo dependent,"
unico ipſius primi nutu ab ea dejici poſſunt"
& dimoveri eſſentia, in qua ab illo conſti-"
tutæ primitus ſunt. Si enim non poſſent,"
haberent in ſe aliud principium reſiſtendi il-"
lius infinitati, & per conſequens ipſum il-"
lud principium non eſſet. Non corrumpun-"
tur autem, quod ſic Deus non velit. Qua-"
re PLATO in cœleſti illa ſcena *Timæi* Pa-"
trem & conditorem Deorum ſic introduxit"
loquentem: *O Dii Deorum, quorum opifex*"
idem paterque ego, opera ſi quidem vos mea"
natura diſſolubilia & B. AUGUSTIN. in"
L. III. contra Maxim. c. XII. & in epiſt."
ad Dioſc. circa medium aſſerit: Angelos ab"
omni alienos corruptione ex gratuita Dei"
benevolentia."

XLIV. 3. *Nullus unquam è mortuis reſur-rexit, ergo anima eſt mortalis*, inſtant Epicu-rei. Reſpondet VANINUS negando ante-"
cedens: (teſtantur enim omnino contrarium,"
tum ſacra pagina, tum etiam eccleſiaſtica"
hiſtoria) & præterea conſequens: poteſt"
namque anima eſſe immortalis, etſi corpo-"
rum reſurrectio omnino nulla daretur."
Ipſa namque a corpore ſeparata per ſe poteſt"

 exiſtere

„exiſtere, cum non ſit in ſtatu violento, „quando quidem aſſecuta jam eſt ſtatum e„minentiorem, & divinæ propinquiorem na„turæ. (Quinimo, ſi eſſet in ſtatu violento, „cum nullum violentum perpetuum, reſur„rectio debita naturæ eſſet ordini, hinc vete„ribus Philoſophis, animam eſſe immortalem „exiſtimantibus, non fuiſſet abſcondita, ne„que myſterium fidei foret apud Chriſtia„nos.)

XLV. Ad probationem (opponunt Epicurei) *ſi anima eſſet immortalis, mortuum aliquem Deus reſuſcitaret deploratiſſima hac depravatiſſimaque tempeſtate*, ut, qui nunc graſſatur atheiſmus, exſtirparetur funditus, ſtirpitusque eradicaretur. Sed reſpondet VA„NINUS negando aſſumtum, nam in para„bola ſeu hiſtoria potius Evangelica dives „apud inferos ita lamentatur: *Rogo te, pater* „*Abraham, ut mittas eum in domum patris* „*mei, habeo enim quinque fratres, ut teſtetur* „*illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tor*„*mentorum:* & ait illi ABRAHAM, *habent* „*Moſen & Prophetas, audiant illos. At ille,* „*non, pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis* „*ierit, pœnitentiam agent:* ait autem illi, *ſi* „*Moſen & Prophetas non audiunt, neque, ſi* „*quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Luc. „16.

XLVI. *Ultimum argumentum deſumebatur ex doctiſſimorum virorum autoritate, qui animæ immortalitatem negarunt*, ut ARISTOTELES, SENECA, CARDANUS &

POM-

POMPONATIUS. Reſpondeo: ſi autoritate" certandum eſt, procul dubio adverſarii in" hoc campo ſuccumbent, quicunque enim" aliquo doctrinæ claruerunt ſpecimine, ut" Sapientes Hebræorum, Chaldæorum, Ae-" gyptiorum, Indorum, Gallorum, quos Drui-" das vocabant, Pythagorici, Platonici, & Stoi-" ci plerique *animam crediderunt immortalem*" &c."

XLVII. His ipſis doctiſſime enervavit argutias, quibus vulgo mentis immortalitas impugnari ſolet. Eandem vero alibi etiam argumentis maximi ponderis comprobavit. Unicum adhuc, hujus rei gratia, ab ipſo propoſitum audiamus ratiocinium. *Nullum*, ait, *ſimplex reſolvitur in ſua principia, nullis enim componitur principiis; ſed anima eſt ſimplex, ergo non eſt reſolubilis in partes.* Si vero non eſt reſolubilis in partes, ſponte ſua, meâ quidem ſententia ſequitur, quod ſit immortalis. Mors enim conſiſtit in reſolutione & ſeparatione partium. Quantum robur, quantavis huic ratiocinationi inſit, ſupra jam in CARDANI apologia docuimus, qui ad mentis immortalitatem evincendam eodem quidem argumento, ſed minori cum perſpicuitate atque evidentia uſus eſt. Ex his ergo ſole meridiano clarius apparet, recte Cel. MORHOFIUM judicaſſe, quando ait in Polyhiſt. ſuo: VANINI Amphitheatrum *ſanum eſſe* ac *ſubtiliter pro animæ immortalitate diſputare.*

XLVIII. v. *De Chriſti vita, doctrina & præceptis non ſemper ea, qua decebat, animi*

reverentia ſermonem feciſſe, *Cel. Buddeus* (a) *evincere ſtuduit* & loca ex ejus dialogis *de naturæ arcanis*, hunc in finem allegata, extra connexionem conſiderantur, ita comparata videntur, ut puriore chriſtiana religione imbuti vix calculo ea approbari queant. Cum autem vir præſtantiſſimus his fere ſolum & vix aliis inſtructus argumentis contra VANINUM diſputaverit, illum quidem alienis a vera ac puriore chriſtiana fide; quos hæreticos vulgo appellant; ſed non atheis, quantum ego quidem perſpicere poſſum, accenſere debuiſſet. Qua in re etiam GRAMONDUM graviter hallucinatum eſſe, jam ſupra oſtendimus.

XLIX. Præcipua igitur nunc argumenta, quibus VANINI atheiſmum evincere multi auſi ſunt, enarravi, & quantum tenues permiſerunt vires, refutavi; leviores objectiones & cumprimis etiam eas, quibus Monachos eorumque ſuperſtitionem itemque & eccleſiæ Romanæ nonnullas hypotheſes, inſtituta, aut ceremonias ſacras læſit, quorum GRAMONDUS varia protulit, brevitatis cauſa prætermiſi ſilentio; quippe quas vel quilibet facile ſolvere poterit; vel accuſationes ſunt & calumniæ poſt mortem ab inimicis fictæ & prolatæ, præſertim a GRAMONDO, viro ſuſpectæ fidei & juſtitiæ, quas pro ejus ſententia propterea nemo ſanæ mentis agnoſcere poteſt; quia nihil ejusmodi in ejus ſcriptis, ſed potius contrariæ, piæ nimirum, ſanctæ ac divinæ prorſus ſententiæ de Deo ejusque

(a) Lib. de atheiſmo.

que providentia in eis, ut ſatis, ni fallor, evici, inveniuntur, ita, ut etiam jam adverſarii & qui ei non bene cupiebant, fateri coacti ſint, quod ex ejus ſcriptis, nihil quod atheum oſtenderet, aperte demonſtrari queat: teſte BUDDEO lib. ſæpe citato, cap. 1. §. 24. pag. 122.

L. Cui vero plura de infelicis hominis vita, morte, accuſationibus harundemque refutatione ſcire volupe eſt, is conſulat Anonymi ſive ARPII ſæpe citatam apologiam pro VANINO elegantiſſime & doctiſſime conſcriptam.

SECTIO XIX.

I. THOMAS BROWNE, natione Anglus, vitæ inſtituto Medicus fuit. Compoſuit ſcriptum Theologici argumenti, cui titulus, *RELIGIO MEDICI*, tanto cum eruditorum applauſu acceptum, ut brevi tempore apud Anglos, Gallos, Germanos aliquoties publicaretur. Quanquam ſingulæ pagellæ evidentiſſimis præclaræ eruditionis, inſignis perſpicaciæ, pietatis mirificæ documentis refertæ ſint, attamen non defecerunt, qui propter illud doctiſſimo auctori atheiſmum & plures deteſtandos errores exprobrare temere conati ſunt. *Apologia Brownii.*

II. TOB. WAGNERUS in exam. elench. atheiſmi ſpeculativi cap. V. opinatur, in hoc libro *atheiſticæ impietatis ſemina & hypotheſes deliteſcere, ut ſine periculo infectionis legi vix*

poſſit. Conſentiunt cum eodem JO. MULLERUS Exam. atheiſmi c. 6. §. 34. & REISERUS in diſſ. de atheiſmo. Quisquis vero illum mente attenta & præjudicatis opinionibus vacua perluſtrabit, facile intelliget, has accuſationes vanas turpesque eſſe calumnias & omni carere fundamento. In eo enim libro BROWNIUS de Deo & ejus attributis tanto cum rerum & verborum pondere ſermonem fecit, ut vix ab ullo hac in re ſuperatum illum eſſe arbitrer: id inprimis nos edocet Partis I. Sectio XIV. ubi ait: *There is but one firſt cauſe, and four ſecond cauſes of all things; ſome are without efficient, as God; other Without matter, as Angels; ſome without form, as thefirſt matter! but every Eſſence created or uncreated, hath its final cauſe, and ſome poſitive end both of its Eſſence and Operation; this is the cauſe J grope after in the Works of Nature: on this hongs the providence of God: to roiſe ſo beau tous a ſtructure, as the World and the Creatures there of, was but his Art, but their ſandry and divideel operations, with their predeſtinated ends are from the Treaſury of his Wisdom.* Quæ verba in verſione latina ita ſonant: „ Cauſa rerum omnium primaria unica „ eſt, ſecundariæ quatuor. Quædam efficiente carent, ut Deus, quædam materia, ut „ Angeli; quædam forma, ut materia prima; „ nulla vero eſt eſſentia, ſive creata, ſive non „ creata, quæ non cauſam aliquam finalem habeat eſſentiæ ſuæ, operationibusque propoſitam; Hanc in naturæ operibus inveſtigare ſtudeo,

ſtudeo, ab hac pendet divina providentia. "
Pulcherrimam hanc orbis, rerumque crea- "
tarum compagem ſtruxiſſe, opus erat ſolum- "
modo divinæ artis, at varias illas operatio- "
nes ſingulisque rebus ſua mandata munia "
non niſi ex ſapientiæ ejus theſauris proficiſci "
oportuit. "

III. His ipſis evidentiſſimi declarat, *ſe credere eſſe Deum, ſe Deum pro conditione cauſaque hujus univerſi prima agnoſcere, ſe ſapientiam ac providentiam divinam ex operibus ejus cum DAVIDE* (a) *admirari; ſe per Deum intelligere & in Deo venerari Ens aliquod intelligens, ſapientiſſimum, prudentiſſimum.* Quis igitur illum de Numine ſupremo tam ſapienter, tam pie ſentientem & eloquentem, ſine pravo animi affectu, aut cæca mente pro atheo venditare unquam poterit?

IV. Quo minus autem huic adverſariorum ejus aſſentiamus cavillationi, quam maxime nos impedit propria illius confeſſio, qua docet, *ſe ad ſuperſtitionem valde proclivem eſſe & ceremonias rituſque externos ad devotionem* ſive pias ſanctasque animi commotiones in eo excitandas, mirum quantum valere; profeſſus illud ipſum eſt, Sect. III. Part. I. *J am, J confeſs, naturally inclined to that, which miſguided zeal terms ſuperſtition: my common converſation J do acknowledge auſtere, my behaviour full of rigour, ſometimes not without*

(a) Pſalm 104. Quam apta ſunt opera tua, o Jehova! quam ea omnia ſapienter feciſti!

moroſity; yet at my Devotion I love to uſe the civility of my knee, my hat, and hand, with all thoſe outward and ſenſible motions which may expreſs or promote my inviſible Devotion. I ſhould violate my own arm rather than a Church, nor willingly deface the name of Saint or Martyr. At the ſight of a Croſs or Crucifix I can diſpenſe with my hat, but ſcarce with the thought or memory of my Saviour: I can not laugh at, but rather pity te fruitleſs journeys of Pilgrims, or contemn the miſerable condition of Fryars, for though miſplaced in circumſtances, there is ſomething in it of Devotion. I could never hear the Ave-Mary Bell without an elevation, or think it a ſufficient warrant, becauſe they erred in one circumſtance, for me to err in all, that is in ſilence and dumb contempt; whilſt therefore they directed their Devotions to Her, I offered mine to God, and rectified the Errors of their Prayers by righ-tly, while my conſorts blind with oppoſition and prejudice, have fallen into an exceſs of ſcorn and laughter: hoc eſt: „ Ad ſuperſti-„ tionem, quam vocat Zelus mendoſus, „ proclivem me eſſe fateor. Vita ſane & „ converſatione ſeverus ſum, moribus triſtis, „ aliquando etiam moroſior, in ſacris vero, „ & genu, & pilei, & manus urbanitas pla-„ cet, una cum reliquis omnibus geſtibus, „ qui pietatem internam aut exprimant, „ aut adaugeant. Proprium mihi brachium „ citius, quam ædem ſacram violaturus ſum, „ quam Sancti alicujus aut Martyris mo-

nu-

numentum dejecturus. Ad crucis aut Cru- "
cifixi conſpectum a pileo facile temperare "
poſſum, nec tamen ſic, quin mihi Ser- "
vator meus animum ſubeat. Nec inutiles "
religioſe peregrinantum labores ridere poſ- "
ſum, nec miſerandam Monachorum condi- "
tionem contemnere: Licet enim in his quæ- "
dam præpoſtere fiant, aliquid tamen in ſe "
pietatis habent. Nolam ſive *campanam* "
Ave Marianam * nunquam niſi levato ad "
cœlum animo audire poſſum; nec mihi per- "
ſuadere, ideo, quia iſti in una circumſtan- "
tia erraverint, mihi licere in omnibus ceſſa- "
re, ſtupido nimirum ſilentio & contemptu. "
Quem itaque illi cultum huic exhibuerunt, "
ego Deo, cultusque ejus errorem preci- "
bus meis rite inſtitutis correxi. In proces- "
ſione ſolemni quandoque abundantius flevi, "
cum, qui forte una aderant, contradicendi "
ſtudio & præjudicio coeci immodico riſu "
diffluerent. "

V. Accedit denique etiam illum ab atheis-
mo tantopere remotum fuiſſe, ut potius cre-
diderit, nullos omnino dari atheos. *Nei-
ther had theſe orany other ever ſuch advan-
tage of me, as to inclino me to any point of in-
fidelity or deſperate poſitions of Abeiſm; for. J
have*

* Qua ad horas 6. & 12. ſingulis diebus pulſatâ mo-
netur unusquisque ſive domi, ſive foris in plateis fue-
rit, ut ad precandum ſe conferat, quæ preces vulgo
apud ſic dictos chriſtianos catholicos ad B. *Mariam
Virginem* diriguntur.

have been theſe many years of opinion there
„ *was never any.* Nec tamen aut hæc, aut ulla
„ alia tantum apud me unquam valuerunt,
„ ut ad infidelitatem aliquam aut deplorata
„ atheiſmi dogmata pertraherent; *nullos enim*
„ *unquam atheos fuiſſe jamdudum credo.* P. I.
„ ſect. 20.

VI. Quum ergo, niſi me omnia fallunt, evictum ſit, BROWNIUM admirabili pietate & inſigni reverentia de Deo rebusque divinis ſemper locutum & philoſophatum eſſe; Quum oſtenderim, illum tantopere, & quidem ob graviſſimas rationes, de exiſtentia Numinis ſupremi fuiſſe convictum & tantam evidentiam tantumque pondus argumentis Deum probantibus tribuiſſe, ut *vix ac ne vix quidem ſibi perſuadere potuerit, dari ejusmodi homines*, qui hanc omnibus rebus inſculptam veritatem in dubium revocarent; quum denique etiam ex ejus verbis docuerim, eum, ſi aliquem paſſus fuerit lapſum, deliquiſſe potius, nimis quam par eſt indulgendo ſuperſtitioni, quam, quæ huic e diametro oppoſita eſt, temerarie de rebus divinis diſceptandi, dubitandi & altercandi cupidini atque atheiſmo; non vereor eundem ab hujus ſceleris infamia liberum prorſus atque immunem pronunciare, præſertim quia præſtantiſſimi Theologorum illius nomen in atheorum catalogo jamdudum delere haud dubitarunt.

VII. Juxta Cel. BUDDEI opinionem (*a*)
Atheis

(*a*) Lib. de atheiſmo & ſuperſtitione.

Atheis annumerari nequit , de Deo enim ita loquitur, ut pravæ aut ſiniſtræ de eo opinionis nullum præbeat indicium. Immortale Academiæ Juliæ decus, HERMANN. CONRINGIUS , vir in rerum humanarum atque divinarum cognitione adeo excellens, ut vix majorem ætas tulerit, ingenue profeſſus eſt, ſe BROWNII religione Medici *mirifice ſemper oblectatum eſſe*; imo de intemerata hujus viri pietate adeo fuit perſuaſus & convictus, ut exoptaverit atque exclamaverit : *Utinam nemo Medicorum, imo Theologorum, illo homine ſit minus religioſus.* (*a*) Rebus itaque ſic ſe habentibus non , niſi ineptiſſime BROWNIUS pro atheo proclamari aut venditari poterit.

SECTIO XX.

I. QUanquam ex hactenus dictis ſatis cognoſci queat, Medicinam ita eſſe comparatam , ut in eadem nihil omnino lateat, quod ad Deum abnuendum ſeducere poſſit , & ipſos ſalutaris artis profeſſores, neutiquam atheiſmo præ aliis ſubjectos eſſe atque opportunos , ad hanc tamen contumeliam ab iis plane removendam atque avertendam mirum quantum conducet, ſi adhuc oſtenderimus maxima ingenia, quæ unquam Machaoniam excoluerunt artem, non tantum ab hac impietate aliena fuiſſe, ſed ad illam

Oſtenduntur Medicorum merita I. *in* Theologiam naturalem.

(*a*) Vid. Conringiana pag. 10.

illam debellandam arma potius ſuppeditaſſe graviſſima.

II. Sine fuco gloriari poſſumus, præſtantiſſima ſcripta, quibus de Deo rebusque divinis ex naturæ lumine diſſeritur, a Medicis profecta eſſe. HIPPOCRATES, Princeps & parens Medicorum, de Numine æterno tanta cum pietate, tanta cum ſapientia verba fecit, ut varii & quidem perdocti Theologi ejus hac de re latas ſententias in ſyſtemata redigere, operæ pretium eſſe duxerint. Vid. ſupra Sect. XIV. GALENI incomparabiles, de uſu partium, exarati libri Theologiæ naturalis encomio inſigniri merentur, ut ſupra Sect. XV. a nobis oſtenſum eſt. Obſtupeſces, ſi AVICENNAM ſummi Conditoris ſapientiam ex admirabili corporis humani ſtructura prædicare audies. Sed quid moror in enumerandis veterum Medicorum in Theologiam naturalem meritis? Ad noſtram tantum ætatem vertamus oculos: quanta, quæſo, in demonſtranda Numinis exiſtentia, ſapientia, magnitudine & in confutando atheiſmo ſolertia & merita ſunt RAJI (*a*) GREWII,

(*a*) JOAN. RAJUS, inſigne Britannorum ornamentum, Medicinam quidem non exercuit, nihilominus illum Philiatrorum ordini accenſere licet, ob multa & egregia ingenii monumenta, quibus artem ſalutarem & cumprimis rem herbariam multis magnisque voluminibus illuſtravit. Nemo ignorat, quantum advertendum atheiſmum valeat ſcriptum illus *de exiſtentia & ſapientia Dei manifeſtata in operibus creationis.* Prima vice

An.

WII, (*b*) NIEUWENTYDTII, (*c*) CHEYNÆI (*d*) CAMERARII (*e*) HOFFMANNI, (*f*) HEISTERI, (*g*) &

Anglico ſermone exaratum prodiit. Lond. 1692. 8. deinceps ſæpius recuſum & in varias linguas translatum eſt. Non minoris pretii ſunt ejus *diſſertationes phyſico-theologicæ de primitivo chao, diluvio univerſali & conflagratione mundi.* Londini 1693. 8. primum editæ.

(*b*) Nehemias Grew, gente quoque Anglus, Medicus & Philoſophus egregius. *Coſmologiam ſacram* perdocte conſcriptam publicavit Lond. 1701. fol. itemque in *Anatome plantarum* Dei ſapientiam egregie demonſtravit.

(*c*) Bernard Nieuwentydt, natione Belga, Philoſophus & Medicus plane eximius. Vernaculo idiomate evulgavit opus, quod inſcripſit, *Wereld beſchouwinge* (mundi contemplatio) Amſtelodami 1715. 4. Brevi poſt anglice, germanice & gallice verſum eſt. In hoc tanta perſpicuitate & ſoliditate ex naturæ operibus Deum ejusque immenſam ſapientiam comprobavit, atque atheos confundavit, ut omnibus, qui in hunc uſque diem hujus argumenti ſcripta publicarunt, palmam præripuiſſe videatur.

(*d*) Georgius Cheynæus, Medicus & Mathematicus Britannus celeberrimus, præter librum de *fluxionibus* & *diæteticum* ſatis inſignem & celebrem, principia religionis naturalis 1705. 8. & revelatæ, 1715. Lond. 8. anglico exarata idiomate in lucem emiſit.

(*e*) Elias Camerarius, Profeſſor quondam Medic. Tubingenſis, conſcripſit diſſertationem *de Medicis, iisque innumeris pro exiſtentia ac providentia Dei argumentis.* Tubingæ 1731. 4.

(*f*) Fridericus Hoffmannus, Germanorum nunc Hippocrates, vir pietatis non minus quam eruditionis laude inclutus, oratione publica acutiſſime diſſeruit, *de atheo convincendo ex ſtructura machinæ humanæ:* Halæ 1696. 4.

(*g*) Laurent. Heisterus, quem non tantum propter innatum erga illum, tanquam optimum Parentem meum

& complurium aliorum, quos brevitati ſtudens, ſilentio nunc prætermitto.

SECTIO

meum, amorem, non tantum propter excellentem doctrinam atque eruditionem, ſed inprimis propter inſignem erga Deum hominesque pietatem, candorem & vitæ integritatem, diligo, colo, veneror: hic inquam, ſemper ſedulam navavit operam, ut, quotiescunque publicam cadaveris alicujus diſſectionem inſtitueret, auditoribus ex artificioſiſſima corporis humani fabrica exiſtentiam Numinis ſupremi vivide demonſtraret, omnesque ad Conditoris ſui ſapientiam, benignitatem, potentiam ſuſpiciendam atque adorandam ſolertiſſime exhortaretur. Quanto cum ardore & quam felici cum ſucceſſu illud ipſum fecerit, cum auditores illorum temporum teſtantur, tum ex multis programmatibus, hunc in finem conſcriptis, perſpicere licet. Tribus prioribus in lucem emiſſis *generatim de utilitate Anatomes in Theologia* diſſeruit; poſtmodum vero ſpeciatim Dei cognitionem tradidit & inculcavit ex admirabili ſingularum quarundam corporis noſtri partium conſtructione & uſu, ut *ex ventriculi functione & fabrica*, *ex inteſtinis tenuibus*, *ex inteſtinis craſſis*, *ex nervis*, *ex muſculis*, *ex oſſium articulationibus*, *ex partibus generationi dicatis primo generatim, ac deinde ſpeciatim ex partibus genitalibus virorum*, *ex partibus genitalibus mulierum & ex mammis mulierum*. Quod autem hæc omnia cum applauſu ab eruditis fuerint excepta, ſequens judicium celeberrimi J. A. FABRICII, Hamburgenſis, ſatis confirmat; Ex conformatione, ait, corporis humani Deum rerum Conditorem ſapientiſſimum & benigniſſimum peculiaribus in ſcriptis demonſtrarunt celeberrimi noſtræ ætatis Medici Frid. *Hoffmannus*, Halenſis, Georg. *Dethardingius*, Roſtochienſis, inprimis autem excellentiſſimus *Laur. Heiſterus*, variis elegantiſſimis programmatibus, Altorfii & Helmſtadii hoc de argumento in lucem editis. Vid. Enumeratio ſcriptorum, qui ex lumine naturæ exiſtentiam Dei commonſtrarunt addita aſtroſophiæ Wilh. *Derhami* ab ipſo germanice ex anglico verſæ.

SECTIO XXI.

I. MAgni igitur faciendum eſt Medicorum in Theologia naturali excolenda ſtudium; ſed non minor eſt exiſtimandus eorum labor *in revelato Divino verbo illuſtrando atque diſſeminando* collocatus. Siquidem in prima Chriſtianorum eccleſia per pietatem, vitæ ſanctimoniam, & aſſiduos in vera religione promovenda conatus tantam ſibi acquiſiverunt exiſtimationem, ut ſicut olim apud gentiles varii in Deorum numerum fuerint recepti, ut APOLLO, ÆSCULAPIUS, &c. ita Chriſtiani veteres *multos ſanctorum cohorti aggregaverint*, eorumque feſtos dies beatæ recordationis ergo celebraverint. Illorum præcipui ſequentes mihi eſſe videntur: *S. Lucas Evangeliſta*, *S. Aemilianus*, *S. Alexander*, *S. Anthiocus*, *S. Antiochus*, *S. Antonius*, *S. Cyrus*, *S. Cæſarius*, *S. Codratus Corinthius*, *S. S. Coſmus & Damianus*, *S. Diomedes*, *S. Dionyſius*, *S. Euſebius*, *S. Gennadius*, *S. Joachimus Japonenſis*, *S. Joannes Damaſcenus*, *S. Juvenalis*, *S. S. Leontius & Carpophyrus*, *S. Oreſtes*, *S. Pantaleon*, *S. Papilius*, *S. Philippus*, *S. Samſon*, *S. Sanctus*, *S. Theodotus*, *S. Urticinus*, *S. Zenobius*. *Conf. C. B.* CARPZOVII diſſ. de Medicis ab eccleſia pro Sanctis habitis & *Abrah.* BZOVII nomenclator Sanctorum profeſſione Medicorum.

II. In Theologiam revelatam.

II. Par-

II. Portam vero antiquis temporibus de religione atque eccleſia Chriſtiana bene merendi famam recentiori ætate non obſcurarunt, ſed egregie potius amplificarunt. Inprimis illud ſuis confirmant exemplis, ut paucos ex multis enumerem, HORSTIUS, (*a*) Caſparus BARTHOLINUS, (*b*) Th. BARTHOLINUS, (*c*) CONRINGIUS (*d*) VOGLERUS (*e*) MAJOR, (*f*) AL-

(*a*) JACOBUS HORSTIUS, Academiæ Helmſtadienſis quondam Med. Prof. Publ. *precationes Medicorum pias* in lucem edidit, Helmſt. 1585. 12.

(*b*) CASPARUS BARTHOLINUS, Medicinæ ac Theologiæ Doctor & Profeſſor in Academia Hafnienſi. Scripſit *manuductionem ad veram Pſychologiam ex ſacris litteris*, Hafn. 1627. *de auctoritate S. Scripturæ*, ib. 1627. *diſp. de partitionibus S. Scripturæ* ib. 1628. *Meditationes in orationem dominicam*, ib. 12. *de Viſitatione Mariæ* ib. 1628. *de benedictione Aharonis* ib. 1631. *de natura Theologiæ*, *de ſtudio theologico inchoando & continuando*; *denique etiam panegyricum de Luthero.*

(*c*) THOMAS BARTHOLINUS, Caſpari filius, Doctor Medicinæ & Profeſſor quoque Hafnienſis. Hic reliquit *paralyticos Novi Teſtamenti Medico & Philologico commentario illuſtratos*, tract. *de morbis biblicis*, diſſ. *de latere Chriſti aperto.* Lugd. Bat. 1696. *De cruce Chriſti hypomnemata IV.* 1. *De ſedili Medio.* 2. *de vino myrrhato.* 3. *de corona ſpinea.* 4. *de ſudore ſanguineo* Hafn. 1651.

(*d*) HERMANNUS CONRINGIUS noſter æternum Academiæ Juliæ, imo totius Germaniæ decus, virum & Heroem ſe præſtitit in controverſiis cum pontificiis agitatis, id quod teſtantur illius *defenſio eccleſiæ proteſtantium*, & *concuſſio fundamentorum fidei pontificiæ.*

(*e*) VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS, Medicus quoque Helmſtadienſis, evulgavit *phyſiologiam hiſtoriæ Jeſu Chriſti* Helmſt. 1673. 4. *Commentarium de rebus naturalibus & medicis*, *quarum in S. ſcriptura fit mentio.* Helmſt. 1682,

(*f*) JOANNES DANIEL MAJOR, celebris quondam

ALMELOVEEN,(g) WEDELIUS, (h) SCHEUCHZERUS, (i) HOFFMAN-

dam Profeſſor Kilonienſis in Holſatia, de *Chriſto Medico*, & *de jejunio Chriſti* diſſeruit.

(g) Theod. Janssonius ab Almeloveen, Medicus Batavus eruditiſſimus, edidit *Amœnitates theologico-phylologicas.* Amſtelodam. 1694. & *ſpecimen antiquitatum profanarum e ſacris.* Amſt. 1686. 8.

(h) Georg. Wolffgangus Wedelius, Academiæ Jenenſis quondam lumen ſplendidiſſimum, in ſuis exercitat. Medico-phylologicis tractavit *de morte Judæ proditoris*, *de vulnere* אל־החומש, *ſeu in quinta Coſta*; *De Saule energumeno*; *de latere Chriſti aperto*; *De ſudore Chriſti cruento*; *De morbis ſenum, Salomonæis*; *De unguento Nardino*; *De morbo Hiobi*; *De Pane quotidiano*; *De quadrageſima medica*; *De contractura Dæmoniaca*; *De Phyſiologia Excidii Sodomorum & ſtatuæ ſalis*; *De vini dulcis plenis*; *De Hyſſopo in genere*; *De Hyſſopo herba ſacra*; *De Hyſſopo myſtica*; *De morbo Hiskiæ*; *De paxillo carnis Apoſtoli Pauli*; *De* אֲהָלוֹם *ſeu ligno Aloes*; *De Moſe chimico*; *De morbo Nabalis*; *De corona Chriſti ſpinea*; *De vino modico*; *De lilio agri*; *De Jaſpide Scripturæ.*

(i) Jo. Jac. Scheuchzerus, Med. D. & Matheſeos Profeſſor Tigurinus. Variis ſcriptis veritatem diluvianæ inundationis univerſalis demonſtrare ſtuduit. Huc pertinent ejus 1) *querelæ & vindiciæ piſcium.* Tigur. 1708. 4. in hoc opere multi comparent piſces ſuam a diluvio originem derivantes. 2) *Herbarium diluvianum.* Tigur. 1709. fol. cum iconibus elegantiſſimis. 3) *Muſæum diluvianum* Tig. 1716. 8. Præterea etiam *de uſu Matheſeos in Theologia* ſcripſit. Tigur. 1711. 4. item *Jobi Phyſicam ſacram* edidit Tigur. 1721. 4. & quod ante omnia commemorandum eſt, in conficiendo quodam *commentario in omnia loca S. S. phyſico-mathematica* occupatus quoque fuit; utrum vero egregium illud opus abſolutum atque in lucem editum ſit, nec ne, mihi latet.

MANNUS, (*k*) qui omnes ſacræ Scripturæ & Theologiæ revelatæ ſagaciſſimi interpretes ac ſtrenui propugnatores fuere.

III. Doctiſſimus SEELENIUS (ſive *von Seelen*) Rector Athenæi Lubecenſis peculiari diatribe Medicorum merita in ſacram Scripturam expoſuit & ſeptuaginta novem enarravit Medicos hoc nomine illuſtres. Celeb. LEPORINUS, Medicus Quedlinburgenſis, integram collegit centuriam Medicorum Theologorum. (*l*) Quid & quantum Medici ad Chriſtianam religionem ab erroribus & ſuperſtitione repurgendam contulerint, *Mart. Gotthelff.* LOESCHERUS, Profeſſ. Witeber-

(*k*) FRID. HOFFMANNUS, modo laudatus, naturalem non tantum, ut paulo ante indicavimus, ſed etiam revelatam Theologiam egregiis illuſtravit ſcriptis. Huc ſunt referenda. 1) Oratio de *officio boni Theologi ex idea boni Medici.* Halæ 1702. 2) Diſſ. *de diætetica S. Scripturæ Medicina.* Halæ 1718. 3) *Summa doctrinæ Chriſtianæ paucis aphoriſmis in ordinem & connexionem relata*, ibid. 1730. 4) Diſſ. *de morbo Lazari.* ib. 1733.

(*l*) *Geretius* ſupra nominatus, de Medicis in Theologia errantibus, tractaturus, *vix triginta novem*, omni licet data opera, compilare potuit, inter quos tamen, me judice, adhuc complures immerito nævorum theologicorum accuſati enumerantur. Quam verum ergo & quam belle excogitatum abſonum & ſtultum illud ſit proverbium, *ubi tres Medici, duo athei*, vel ex hoc ſatis colligere licet. Ceterum ὡς ἐν παρόδῳ hic obſervamus numerum Medicorum ob merita in ſacram Scripturam & Theologiam inclutorum tam a *Seelenio*, quam *Leporino* annotatum, multum ſuperare ſeriem *Jureconſultorum* de S. Scriptura bene merentium, quam M. G. F. *Gudius* peculiari diatribe Lipſiæ 1729. edita, exhibuit. Quod Medicis & pergratum & honorificum eſſe oportet.

tebergenſis, docte & copioſe tradidit in diſſ. *de Medicorum meritis in Auguſtanam Confesſionem*. Conf. & G. DETHARDINGII diſſertatio *de Medicorum pietate*, itemque commerc. litterar. univerſale Norimb. Ann. 1735. pag. 109.

IV. Cum igitur Philiatrorum pietas, virtus & ſtudia in Theologia tam naturali, quam revelata excolenda, illuſtranda, confirmanda tam egregia, tam excellentia, tam illuſtria ab antiquiſſimis temporibus ad noſtram uſque ætatem fuerint, omnes boni & a partium ſtudio vacui facile cognoſcent, *injuſtiſſima eſſe illorum molimina, qui Medicos temere impios, irreligioſos, imo atheos crepare* non erubeſcunt.

SECTIO XXII.

Medicinam potius ad pietatem quam ad atheiſmum ducere evincitur.

I. ANtequam filum meæ exercitationis abrumpam, brevibus adhuc commonſtraturus ero, nullam ſcientiam vel artem, nullum diſciplinæ genus, ſi ſola ſancta excipiatur Theologia, ſuos cultores tantopere à flagitiis & ſceleribus avocare atque tantopere ad religionem, *pietatem & vitam legibus divinis conformem, reddendam excitare ipſa Medicina.* (*a*)

K 2 II. *Si*

(*a*) *Jo. Jac. Baierus*, Medicus Altdorfinus dum viveret, celeberrimus, & Præſes Collegii Naturæ curioſorum meritiſſimus, nuper præmature defunctus, innumeris fere exemplis Medicorum ob pietatem, vitæque ſanctimoniam

Ex quotidiana operum Dei conſideratione.

II. *Si quis enim eſt, cui via & aditus ad Numen ſupremum ejusdemque perfectiones ritè cognoſcendas patet, certe eſt is, qui in arte ſalutari pertractanda ſtudiumque operamque multam collocat.* Medicus enim vel incidat corpora mortuorum horundemque ſcrutetur viſcera & elegantiſſimam ac ſtupendam fabricam; vel peragret agros, prata, ſylvas, montes, hortos ſuaviſſimis exornatos ſtirpibus, vel mineralia atque metalla intimis terræ viſceribus abſcondita rimetur, ſemper circa ejusmodi verſatur objecta, quæ ſapientiam, benignitatem & omnipotentiam divinam oculis & menti evidentiſſime repræſentant.

III. Quando vero admirabilem ſummi Conditoris in rebus creatis manifeſtatam *ſapientiam* perpendit, non poteſt non ſumma in eodem aboriri tanti Numinis, quod hæc omnia fecit, reverentia, quando hujus ſingularem conſiderat *benignitatem* ineffabili erga eum inflammabitur amore, immenſæ contemplatio *potentiæ*, horrorem ipſi incutiet & nauſeam ad ea facienda, quæ ullo modo lædere vel offendere DEUM poſſunt, hæc autem e contrario omnia mirificum accendent deſiderium ad nutum vel voluntatem Entis adeo perfecti ſapientis & boni totam vitam & cunctas inſtituendi actiones. (a)

IV. *Nihil*

niam & integritatem inclutorum *την των ιατρων ευσεβειαν* comprobavit in programmate Altdorfii 1704. edito.

(*a*) Hoc pluribus demonſtravit *Carolus Drelincurtius* in oratione *de pietate Medici, & quotidiana operum Dei conſideratione.*

IV. *Nihil autem ad veram virtutem & quæ hanc, ut umbra corpus, ſequitur, vitæ beatitudinem obtinendam magis conducere præ-via miſeriæ ſuæ agnitione*, ipſa divina oracula docent & omnes morum Philoſophiæ doctores uno ore profitentur. Cana ſapiensque antiquitas jam dudum perſpexit, eum demum *vitam æqua lance penſitaturum eſſe, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit.* (*a*) Quis vero hanc melius agnoſcit, cui frequentius ante oculos verſatur, quam Medico? Quoties in generationis negotio perſcrutando occupatus eſt, & primam hominis originem, primum habitaculum, primos vagitus perpendit; quoties extinctorum corpora luſtrat atque molliſſimam cerebri ſubſtantiam, tenerrimam pulmonum, ventriculi, oculi &c. fabricam, ſubtiliſſimam totius machinæ maximeque fragilem intuetur ſtructuram, (*b*) quoties horrendum morborum evol-

Ex vivida miſeriæ humanæ agnitione.

(*a*) Plinius Lib. 7. c. 7.

(*b*) Hinc Th. BROWNE recte judicavit, neminem melius miſeriam & fragilitatem ſuam cognoſcere, quam Medicum: *Men that lockno farther than their out ſides, thinck health an apportenance unto life, and quarrel with their conſtitutions forbeing ſick; bat, J that have examined the ports of Mon, and Know upon wath tender filaments that fabrik hongs do wonder that weare not al wageſſo*: „ Hoc eſt. Qui ſe ipſos ex„ trinſecus tantum contemplantur, propriam vitæ ap„ pendicem ſecundam valetudinem eſſe credunt, & cor„ poris ſui conſtitutioni ſuccenſent, ſi quando ægrotent. „ Mihi vero, cui (tanquam Medico) corporis noſtri „ partes exploraſſe contigit, & ſcire quam tenuibus fi„ lamentis hæc fabrica cohæreat, non ſemper potius æ-

 „ grotare

evolvit catalogum, qui genus humanum excruciare & proſternere ſolent, toties admonetur, ut cum PLINIO exclamet: (*a*) Nihil eſt miſerius homine!

Ex frequenti mortis contemplatione.

V. *Omnium tamen maxime peccandi libidinem reprimit ac effrenatos coercet appetitus frequens & vivida mortis contemplatio*, quam quidem maxima pars hominum, quantum modo fieri poteſt, evitare ac declinare omni ſtudet conatu; nihil enim æque natura horremus, quam animæ diſceſſum a corpore. Medicus vero ad obitum ſuum ſæpiſſime reſpiciendum vel invitus rapitur. Omnium optime novit, quam fragile & caducum corpus, quod circumfert, exiſtat, quam levis aura vel impetus robuſtiſſimum maximeque vegetum uno quaſi momento proſternere & interficere valeat.

VI. Quando arteriæ cordisque pulſum percipit, reminiſcitur, hunc motum, quo vita continetur, vitæ quoque ipſius eſſe deſtructorem; (*b*) quoties cruorem per venas agitari ſentit, jamjam reformidat triſtem iſtius humoris

